



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jacobi Alvarez de Paz Opera

De Exterminatione Mali, Et Promotione boni - Libri quinque

Álvarez de Paz, Jacobo

Lvgdvni, 1613

Pars I. de Paupertate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77843](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77843)

iam optime nouerunt, & opere praestiterunt, aduentent. Nobis vero fructus non tantum quia pro Dei gloria defudamus, sed quia cum incipientibus, ex his quae scribimus, aliquid proficiemus. Nam cum aliud sit dicere, aut scribere, & aliud, quae scripseris, actione complere, nos quidem haecenus dicere impolito stylo nouimus, sed utinam, quae haecenus diximus, & dicemus, in opus proferre discamus. Est autem in hoc rebus odoriferis affinis natura virtutum, ut quemadmodum manus, si semel odores atrectauerint, fragrantia eorum imbuuntur, ita & mens, quae meditando scribendisque virtutibus assidue vacat, eisdem paulatim afficitur. Dum ergo meditamur, dum scribimus, dum corrigimus, facit Deus ut virtutibus his aliquantulum exornemur, & de nostra

tepidam vitam erubescamus. Sed in hac tractatione ita procedendum est, ne opus in immensum crescat, ut in harum trium virtutum laudibus parcifimus: in his vero, quae ad praxim pertinent, reliquum huius voluminis collocemus: nam legentium mentes, quae hucusque in legendo perdurauerint, satis affectas uideo, ut non tam ad virtutes moueri, quam ad earum gradus cognoscendos, & perfectionem sciendam, debeant incitari. Tu Domine qui me inter non pauca, nec modica impedimenta, usque ad postremam huius voluminis partem venire tribuisti, votis meis benignus aspice, ut quod ad honorem tuum, & utilitatem tuorum seruatorum, ceptum est, tuo auxilio compleatur.

PARS PRIMA

De Paupertate.

PAUPERIAS duplex est: altera, quam nolentibus, & reluctantibus dura necessitas intulit; altera, quam uolentibus, & sponte suscipientibus, desiderium perfectionis iniecit. Illa non est uirtus, nec uitium, sed cum rebus medijs, aut indifferentibus computanda, quae pro sustentium qualitate, potest in malum, & in bonum trahi. Multis tamen occasio exitit mali, eo quod dum necessarijs egent, non ad tolerantiam, sed ad impatientem tristitiam permouentur, & dum uolunt diuites fieri, ad rapinas, & fraudes, & proximorum iniurias excitantur. Unde Salomon Mendicitatem, & diuitias ne derideris mihi, sed tantum uictui meo tribue necessaria. Ne forte satiatus illiciar ad negandum, & dicam: Quis est Dominus? aut egestate compulsus furer, & periurem nomen Domini. Haec autem uirtus est, & praecipua multis curis nos liberans, quam omnes religiosae familiae, ut impedimenta perfectionis remouerent, pie diligentique seruarunt. Neque eundem illa paupertatis modum custodiunt, ut Ecclesia, cuius sunt partes, in hoc etiam uarietate uersita in conspectu summi regis appareat. Quaedam enim, ut Bonauentura annotauit, bona, & possessiones in communi retinent, unde earum professores sustententur, licet nullus eorum aliquid tamquam proprium possideat. Huiusmodique Paupertatis forma in turba discipulorum praecessit, de quibus in actibus Apostolorum scribitur: Nec quisquam eorum, quae possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Et paulo post: Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, uendentes afferrebant pretia eorum, quae uendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. Diuidebatur autem singulis prout cuique opus erat. Aliae uero religiosae familiae neque in particulari, neque in communi aliquid possident, sed ex fidelium elemosynis se sustentant. Earumque Paupertatis exemplar in Apostolis praecessisse conuenit: Nam illis dixit Dominus: Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in uonis uestris, non per. in uia, neque duas tunicas, neque calcamenta, neque uirgam: dignus est enim operarius cibo suo. Et uere haec Paupertas paucorum est perfectorum, illorum scilicet, qui tam robustam uirtutem habent, ut possint ministerijs Ecclesiasticis cum sui & aliorum utilitate seruire, & sine notabili distractione necessaria queritare. De quo Sanctus Thomas Aquinas, & Cardinalis Caietanus, multa uere & subtiliter disputant. An uero multitudini congruat, in qua multi essent infirmi, & non usque ad necessitatem in perfectione fundati, aliorum iudicio relinquimus. Sed quia nos non quidem religiosas congregationes regere, sed personis earum particularibus prodesse cupimus, quibus sine in communi religio habeat, sine non habeat, eadem debet inesse Paupertas, ideo omnibus illis deinceps in hac tractatione indifferenter, & sine ulla distinctione loquemur, & huius sanctae uirtutis perfectionem illis (Deo fauente) declarabimus.

Quid sit Religiosa Paupertas.

CAPVT I.

TRAGTATIONEM hanc a definitione Paupertatis ordiamur, quae dum eius naturam aperuerit, ipsius quoque desiderium accendet, & praestantiam explicabit. Paupertas igitur est, ob amorem Dei, & desiderium perfectionis, omnium rerum temporalium abdicatio, opere & uoluntate. Idem intelligitur ex quadruplici genere Hominum, quos Haymo Albertitensis Episcopus apte distinxit. Quidam enim sunt nec pauperes rebus, nec spiritu, nimirum diuites superbi, de quibus ait Sanctus Dauid: Ecce ipsi peccatores,

et abundantes in saeculo, obtinuerunt diuitias: qui facultatibus locupletati, & illis nimie adherentes, mente sunt superbi, & spiritu turgidi. Alij sunt Pauperes rebus, sed non spiritu: illi scilicet, qui nihil quidem possident, sed multa possidere concupiscunt: & cum corpore & ventre sint vacui, desiderio uero, & uoluntate sunt pleni. Alij sunt pauperes, non rebus sed spiritu, quorum est diuitias ipsa possidere, sed eis corde non adherere, nec sublimis sapere, ut ait Paulus, nec in incerto diuitiarum sperare. Alij denique sunt pauperes rebus, & spiritu, qui nempe opere diuitias propter Deum, & facultates deserunt, & multo magis affectu cordis abiciunt. Hi autem sunt Ecclesiae religiosi, quando hoc egregium opus uoto confirmant. Eorumque uirtus uocatur Religiosa Paupertas.

Prou. 30.
8.

Bonaui. in
Apolog.
Pauperu
resp. 3. p.
1. a. 1.
Astor. 4.
32.
n. 34-35.

Matth.
10. 9.

D. Tho.
22. q. 188
art. 7.
Cont. ib.

Haymo
Matth. 5.

Pf. 72. 12

T. 11

Tria igitur ad veram Paupertatem requiruntur, quorum aliquod si desit, non erit, quam inuestigamus, nostro statu digna Paupertas. Primum est, vt affectu, voluntate, ac deliderio, vniuersa temporalia relinquamus, & hoc est in Paupertate praeipuum, cuius gratia actione res temporales abiciamus. Hoc significant illa verba Saluatoris: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum.] Spiritus namque pro voluntate positus est, sicut aliis locis scripturatum non semel. vt: Solliciti seruare vnitatem spiritus, id est, concordiam voluntatum, in vinculo pacis.] Et: Cui seruo in spiritu meo,] id est animo, ac voluntate mea. Et: Virgo cogitat, quae Domini sunt,] vt sit sancta corpore, & spiritu. Sunt ergo spiritu pauperes, siue mendici, qui sponte, ac voluntate, aut res temporales, quas habent, abiciunt, aut quas non habent, non appetunt, sed verè, & ex corde, contemunt. Quique dicunt cum Paulo: Verumtamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt iterora, vt Christum lucrifaciam.] Omnium, inquam, opum, honorum, voluptatum iacturam faciunt libenter propter eminentissimam cognitionem Iesu Christi, & propter eius imitationem, vniuersa haec temporalia noxia iudicant, & iterora vilissima arbitrantur.

Facile autem est, hunc affectum, quo omnia relinquimus, in Paupertate esse praeipuum, ex Patribus comprobare. Gregorius enim ait: Hac in re, fratres charissimi, affectum debemus potius pensare, quam censum. Multum reliquit qui sibi nihil retinuit, multum reliquit, qui quamlibet parum, totum deseruit. Certè nos, & habita, cum amore possidemus, & ea quae minimè habemus, ex desiderio quaerimus. Multum ergo Petrus, & Andreas, dimisit, quando vterque etiam desideria habendi dereliquit. Multum dimisit, qui cum re possessa etiam concupiscentiam renuntiavit. A sequentibus ergo tanta dimissa sunt, quanta à non sequentibus concupisci poterunt.

Nemo igitur etiam cum quosdam conspiciat multa reliquisse, apud semetipsum dicat: Imitari mundi huius contemptores volo; sed quod reliquam, non habeo. Multa, fratres, relinquitis, si desideris terrenis renunciatis. Exteriora etiam nostra Domino, quamlibet parua, sufficunt: cor namque, & non substantiam pensat. Nec perpendit quantum in eius sacrificio, sed ex quanto proferatur. Et Augustinus ad Paulinum scribens, sic ait; Piscatores, vocare Domino, quod nauiculas, & retia dimiserunt, omnia se dimisisse, & Dominum secutos esse, etiam commemorando laetati sunt. Et reuera omnia contemnit, qui non solum quantum potuit, sed etiam quantum voluit, habere contemnit. Sed in eo quod cupiebatur, oculi Dei testes sunt; in eo quod habebatur, & hominum. Et rursus alio loco de se ipso ad Hilarium scribens, sic ait: Ego, qui haec scribo, perfectionem, de qua Dominus locutus est, quando ait diuiti adolecenti; Vade, vende omnia, quae habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in caelo, & veni, sequere me;] vehementer adamaui, & non meis viribus, sed gratia ipsius adiuuante sic feci. Neque enim quia diues non fui, ideo minus mihi imputabitur. Nam neque ipsi Apostoli, qui priores hoc fecerunt, diuites fuerunt. Sed totum mundum dimittit, qui & illud, quod habet, & quod optat habere, dimittit. Et Ambrosius breuiter: Affectus diuitem collationem aut pauperem facit, & pretium rebus imponit.

Ideo autem iste affectus omnia contemnens est in paupertate praeipuus; quoniam res temporales per se sumptae, bonae sunt, & eatenus noxia perfectioni iudicantur, quatenus animum ab amore caelestium distrahant, & cum nimia adhaesione possidentur. Quare qui hanc adhaesione deserit, & affectum suum erga eas moderatur, aut etiam ab eis tollit, aliquo paupertatis premio non carebit. Ideoque veteres Patriarchae cum multis diuitiis affluerent, spiritu pauperes dicti sunt: quia diuitiae corpus quidem, & amplam eorum familiam protegabant, non tamen nimio amore earum corda foedabant. Quis enim neget, Abraham cor habuisse ab immoderato amore rerum temporalium immune: qui (quod ad se attinuit) filium, vt Deo obediret, dilectissimum, & suae domus heredem immolauit? An forte potuit propter obedientiam Deo seruandam filium occidere, & non potuit externas facultates aspernari? Sicut ergo sacrificium Abel Deo placuit, ex eo quod ex deuotissima, ac promptissima voluntate processit; ita sacrificium nostrum, quo ei facultates offerimus, gratum est, quia ex ardentissimo voluntatis affectu eas à nobis separamus. Vnde affectus iste qui dimissioni rerum valorem suum tribuit, merito sanè in hoc negotio Paupertatis primum obtinet principatum.

Non tamen satis est religiose paupertati spiritu & corde temporalia relinquere, nisi secundum addamus, vt scilicet etiam re ipsa & actione deserantur: Est enim professio religiosa, vt Thomas Aquinas scitè meditatus est, totius virtutis ac perfectionis schola, ad quam qui accedit, vt ad perfectam Charitatem perueniat, & Deo se intellectu & affectu coniungat, debet se ab amore rerum vilium & temporalium diuellere. Haec autem res difficillimè animo relinquuntur, si opere teneantur. Quare oportet eas actu deserere, vt possimus affectum ab illis expedire, & amorem nostrum à visco huius saeculi liberare. Quare Dominus adolecentem ad perfectionem inuitans, non tantum ab eo petiit, vt amorem diuitiarum deponeret, sed vt actu quoque relinqueret. Si vis, inquit, perfectus esse, vade, vende, quae habes, & da pauperibus; & habebis thesaurum in caelo; & veni, sequere me.] Et Augustinus hanc rem tractans sapienter scripsit: Nescio quomodo cum superflua & terrena diliguntur, arctius, adepra quam concupita, constringunt. Nam vnde tristis ille discessit, qui consiliu vitae aeternae consequenda quarebar à Domino, cum audisset vendenda esse omnia, & distribuenda esse pauperibus, & habendum thesaurum in caelo, si vellet esse perfectus? Nisi quia magnas, vt Euangelium loquitur, habebat diuitias. Aliud est enim nolle incorporare quae desunt: aliud, iam incorporata diuellere. Illa velut cibi repudiantur: ista velut membra praescinduntur. Quanto igitur, & quam mirabili gaudio nostris temporibus Christiana charitas conspiciat per Romani euangelium cum laetitia fieri, quod ex ore Domini cum tristitia diues audiuit? Sic ille.] Et ad idem Chrysostomus. Nec vnquam magna voce praedicare cessabo, accessione pecuniarum cupiditatem habendi magis atque magis in dies adeo inflammari, vt rerum copia crescente paupertas quoque augeatur. Nam qui maiori desiderio ardent, eggere se magis sentiunt.] Et sanè licet temporalia nimie & immoderate animo non adhaeserent, in religioso statu, ex eo autem relinquenda sunt, quonia eorum administratio & sollicitudo conseruandi & augendi, nõ parũ animũ distrahit, & à caelestibus auocat. Mens autè quae pro ratione professionis suae debet i-

Matth. 5. 3.
Ephes. 4. 3.
Rom. 9. 1. Cor. 7. 34.

Philipp. 8.

Homil. 5. in euang.

Epist. 34. ad Paulinum.

Mat. 19. 21.

1. Offic. cap. 30.

Gen. 22. 10.

Ibid. 4. 4.

D. Thom. 2. 2. q. 186. art. 3.

Mat. 19. 21.

Aug. epist. 37. ad Paulinum.

Hom. 64. in Mat.

giter Deo vacare, non possideat ea necesse est, quibus a caelestibus auocatur.

Ille igitur erit affectu & actione pauper, qui, & temporalibus renunciauit, & ea corde atque affectu deseruit. Nam si tantum opere facultates reliquisti, & affectu ab eis non separasti, ineptè satis de arrepto melioris vitæ proposito ac de Paupertatis professione gloriaris. Eris namque pauper sæculi qui diuitias possidere non potuit; non pauper Dei; qui à se diuitias, quas possidere poterat, relegauit. Erit in te paupertas non spontanea virtus, sed dura necessitas. Eris religiosi nomine indignus, qui quod sæculi amatores quarunt, diligis: non qui te vera contemptum sæculi proferis. Eliges tibi stultè tam diuitiarum quam paupertatis incommoda, & vtriusque bonum à te reiciēs. Nam incommodum paupertatis est indigentia, quam nihil possidens absque dubio sustinebis, incommodum verò bonorum temporalium, est affectus immoderatus ad illa: & hunc quoque diuitias diligens, & cupiens, indubiè suscipies. E contra verò bonum Paupertatis est tranquillitas mentis, spinas curarum repellentis, quas opes ingenerant: & hanc opes & superflua desiderans, non habebis. Bonum verò diuitiarum, est earum bonus in necessitates tuas, & in pauperes, vtilis: hunc verò sine facultatibus actu possessis obtinere non poteris. Redibis ergo ad mentem si duo hæc necessaria ad tuam professionem adiunxeris, & in vna Paupertate complectaris: vt scilicet temporalia bona actu deseras, & affectu ac desiderio relinquant.

His duobus, quorum vnum est, bona temporalia actu reliquisse, & alterum, affectu deposuisse, tertium adiciendum est, vt nempe hic egregius bonorum temporalium contemptus ob propositum melioris vitæ & propter regnum caelorum, & amorem Dei à viro iusto suscipiatur. Nam hic est scopus, propter quem voluit Deus à nobis temporalia relinquere, vt valeamus expeditius ad perfectionem currere, & libentius ad caelestia properare. Idque indicant illa verba, quæ adolescens ad Paupertatem inuitatus audiuit: Veni, sequere me, & habebis thesaurum in caelo.] Vende, inquam, tua, & da pauperibus, non quidem alio fine, nisi vt meus fias discipulus, vt in meam transeas disciplinam, vt vitam meam pauperem ac diuitiarum contemptricem, imiteris, vt me voluntate & actione sequaris. Relinque tua, vt quasi dato pretio omnium eorum, quæ possides, thesaurum in caelo mereris. Non tibi spes lucri temporalis illudat, quæ modica, & fallax est, sed spes lucri caelestis, & æterni, ad temporalia abiicienda pertrahat, quæ vera & ingens est supra modum. Hunc autem esse finem propter quem debeamus paupertatem profiteri, Patres cognouerunt, atque ex Christo didicerunt. Macarius Aegyptius sic ait: Propterea Deus consulens animæ tuæ, iussit omnibus rebus renunciare, vt vel inuitus quæras opes caelestes, & habeas ita cor tuum apud Deum: quia si volueris teneri ad possessiones, nihil exiis quæ in mundo sunt, reperies te possidere: & ob id (velis, nolis) cogeris migrare ad caelestia, vbi ea thesaurizasti, ac deposuisti. vbi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. In lege itaque præcepit Deus Moli facere serpentem æneum, & hunc exaltatum ad summam partem ligni affigere: & quicumque à serpentibus percussus erant, spectantes serpentem æneum, sanabantur. Quod quidem non sine dispensatione fiebat: vt qui terrenis curis, idolorum cultura, voluntatibus Saranæ, & quacumque impietate detinebatur, hoc saltem modo erigerentur aliquatenus ad superiora: & mortui quoad hæc inferiora, oculos at-

tenderent ad sublimia, & rursum ab illis promouerentur ad id quod est altissimum, & ita paulatim gradientes ad subliorem & superiorem progeniem, cognoscerent esse quendam altissimū supra omnem creaturam. Eadem ratione iussit te Deus pauperem fieri, & omnibus venditis largiri pauperibus, vt postmodum (etiam si velis) denuo repere super terram non possis. Itaque incipe scrutans cor tuum, disputare cum cogitationibus tuis, iniciens, cum nihil possideamus super terram, transeamus ad caelum vbi thesaurum habemus, & ibi negotiati sumus.

Antiochus sic: Qui inops est super terram quidem veretur, conuersionem verò iam in caelis sibi comparauit. Inopia enim merito cum Angelis congregitur familiariter, choro accensetur iustorum, Dum enim hæc auersatur & repudiat terrena, vel ipsa imaginatione colligit iam & contemplantur caelestia. Non vides quanto inter se dissideant discrimine, hæc corruptiua dimississe, & possidisse incorrupta: hæc qualiacumque quæ nostra non sunt, reliquisse, & illis persequi quæ parata sunt diligentibus Deum, quæ oculus non vidit, non auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt? Quisquis mundi istius osor est, & mammonæ, perispcium euadit, quia hic mundi opificem diligit. Inferioribus enim transmissis præstantiora nihil obscure experit. Generosa prorsus, ac Deum sinceriter amantis animæ argumentum est, nihil mundi possidere velle. Qui eiulmodi est, hæres quidem Dei, coheres autem sic Christi. Qui igitur adipisci vult margaritam illud multo pretiosissimum, præsentium bonorum omnium possessionem se dum gaudio excutiat, vt agum sibi comparet, in quo vitæ quidem thesaurum inuenit, eatenus retrorsum & reconditum. Tunc enim locum quis nanciscitur, in quo gratia Dei delituit, cum temporales hæc diuitias omnes à se abiecerit.

Basilius sic. Hi sunt mendici spiritu, qui non aliam vllam ob causam ad mendicantem deuenerunt, quam ob doctrinam Domini qui dixit: Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus.] Ac tandem Bernardus sic: Diligenter attende, quod Dominus non simpliciter pauperes nominat, propter plebeios pauperes necessitate miserabili, non laudabili voluntate. Spero equidem profuturam iis apud diuinæ bonitatis misericordiam, hanc ipsam afflictionis suæ miseriam: Scio tamen Dominum hoc in loco, non de huiusmodi fuisse locutum, sed de his, qui possunt dicere cum Propheta: Voluntariè sacrificabo tibi.] Attamen nec voluntaria quidem paupertas omnis laudem habet apud Deum. Nam & Philosophi omnia sua reliquisse leguntur, vt expediti mundialibus curis studio vanitatis possent vacare liberius: & nolebant censu abundare terreno, vt abundarent magis in suo. Hos discernit quod dictum est, spiritu, id est, spirituali intentione, desiderio spirituali propter solum beneplacitum Dei & animarum salutem.

Hæc omnia Patres, & multa alia, quæ consulo prætereo, ex quibus satis aperte liquet qualem Paupertati nostræ finem præfigere debeamus. Neque enim diuitias, & saculi facultates abiicimus, quasi in se malas esse putemus, sed quia ex culpa & imbecillitate nostra, eis sine immoderata adhesionem, & sine distractione mentis vti non nouimus. Neque eas relinquimus ex inanis gloria desiderio, vt apud homines opinionem contemptorum sæculi, & nomen magnum assequamur. Sicut ille fecit, cuius Euangelista Ioannes (vt dicitur) lapides preciosos, & gemmas commutatas in pristinam integritatem

Homil. 89. de inopia.

Regul. eruar. 103.

Luc. 9. 11. Sem. in festo. 1. 1.

Ps. 38. 2.

Matth. 19. 21.

Macar. homil. 11.

Num. 21. 8.

integritatem

Epist. 26. ad Pammachium.

tegritatem ac valorem restituit. Nec tandem eas desideramus, ut rerum temporalium cura soluti, liberius scientia seculari studeamus. Hac fuit quorundam antiquiorum philosophorum paupertas, quam certe Christo credens, & premium eius aspiciens, debet in suscepta à se mediocritate supergredi. Quare huius abiectionis opum ab Ethnicis facta dum meminit Hieronymus, hac ait: Fecit hoc Crates Thebanus, fecit & Antisthenes, fecerunt plurimi, quos vitiosissimos legimus. Plus debet Christi discipulus praestare, quam mundi philosophus, gloria animal, & popularis aura, atque rumorum venale mancipium. Tibi non sufficit opes contemnere, nisi Christum sequaris, Christum autem sequitur, qui peccata dimittit, & virtutum comes est. Cuius ergo rei gratia à nobis sunt mundi difficultates deserenda? Equidem assero, ut posito rerum terrenarum pondere expediti Christum sequamur, ut occasiones peccandi fugiamus, ut curas, & seculi sollicitudines abiciamus, ut tranquille rebus diuinis vacemus, ut pro peccatis nostris non nihil sustineamus, ut contemptis terrenis caelestia suspiremus, & ut thesaurus in com parabilis in aeterna patria nobis obtingat. Hic est scopus Christianae paupertatis, ad quem nuditas, & reliqua quae paupertate continentur, ex nostra intentione dirigatur.

Hac igitur paupertas, quae actu omnia temporalia abicit, & affectu derelinquit, ut mens liberius in Deum tendat, & caelestia concupiscat, est paupertas religiosa, si tamen non ad tempus suscipiatur, sed perpetuo voto firmetur. Religio namque status Ecclesiae est in perfectionem tendens, & ab iis quae perfectionem impediunt, hominem eximens. Status autem ut iure status nomen & substantiam teneat, debet esse stabilis, atque perpetuus, nisi Paupertas, Caritas, & Obedientia, ad eum pertinentes, sub votum cadant. Duobus enim modis possumus ad aliquid faciendum ligari, aut praecipito, aut voto. Deus vero non obligauit nos ad actus praedictarum virtutum aliquo suae legis praecipito, ut scilicet, nihil omnino possideremus, ut ab vxoribus accipiendis abstineremus, ut superior à nobis sponte electo in omnibus subderemur, sed haec sub consilio reliquit. Ergo votum necessarium fuit à nobis emissum, quod nos ad haec faciendum ligaret, atque adeo ipsa tamquam Ecclesiae statum facientia constitueret. Paupertas igitur nostra debuit esse voti obligatione promissa. Quae profecto nulli nos discrimini damni corporalis aut spiritualis exponit. Quia cum res temporales libenter dimittimus, non est cur propter illas congregandas aliquid peccatum timeamus. Et necessaria ad vitam nobis deesse non poterunt, cum propter regnum Dei terrena contemnimus. dicente Domino: Quarite primum regnum Dei, & iustitiam eius, & haec omnia adiicientur vobis. Neque etiam haec omnimoda rerum abrenuntiatio se largitioni elemosynarum opponit. Quia perfectus est pro Christo omnia simul tribuere, quam multis retentis, quaedam tantum paulatim ac per partes erogare. Vnde Hieronymus contra Vigilantium ait: Quod autem asseris, eos melius facere, qui vtuntur rebus suis, & paulatim fructus possessionum suarum pauperibus diuidunt, non à me eis sed à Deo respondebitur. Si vis perfectus esse, vende quae habes, & da pauperibus, & veni, sequere me. Ad eum loquitur, qui vult esse perfectus: qui cum Apostolis patrem, nauiculam, & rete dimittit. Ille quem tu laudas, secundus & tertius gradus est, quem & nos recipimus, dummodo sciamus prima secundis & tertiis praefenda. Et in libro de Ecclesiasticis dogmatibus scriptum est: Bonum est facultates cum dispensatione pauperibus erogare;

Matth. 6. 33.

Epist. in Vigilantium suo. 10. 2.

Matth. 9. 21.

Insero per Aug. 6. 71. 10. 8

A melius est pro intentione sequendi Dominum in simul donare, & absolutum à sollicitudine cum Christo egere. Maneat ergo religiosam paupertatem esse abrenunciationem rerum temporalium re & multo magis animo factam propter desiderium perfectionis, & regni caelestis, quam votura stabilium, & voluntas nostra pollicitatione ligata firmavit.

Quam sit Paupertas viro religioso necessaria.

CAPVT II.

B **H**ac natura Paupertatis sic à nobis exposita manifestè colligitur, eam viro religioso esse maximè necessariam, sine cuius adminiculo perfectionem, cuius gratia, à mundo discessit, & caenobium ingressus est, obtinere non poterit. In statu religioso initium ac radix eius, substantia, ac natura ipsius, & adminicula ut haec eius natura subsistat, consideranda sunt, sine quibus factus erit, & quasi in tabella depictus, non verò verus, & viuus (ut ita dicam) atque aliqua stabilitate solidatus. Ego enim hunc statum arbori similem iudico, cuius radix non in terra ista nostra, sed in caelo, aut in spe firma consequendi caelum, latet: cuius truncus ex hoc loco confurgit, & rami virtutum hinc inde se conuenienter expandunt, suauissimis fructibus onerati, cuius frondes & folia fructus protegunt atque defendunt. His omnibus similis est beata Paupertas, ut quam religioso statui necessaria sit, euidenter appareat.

C Ipsa est huius sublimis atque proceræ arboris radix quam si euellas, arbor arefcet, & omnino peribit. Decreuerat Dominus, regi superbo, iam castigato, & emendato, & humili facto, regnum, quod propter superbiam abstulerat, restituere, utque suum decretum illi patefaceret, ostendit illi arborem magnam & fortem, in super, & vigilem, & sanctum clamantem, atque dicentem: Succidite arborem, veruntamen germen radicum eius in terra finite. Hoc autem verbum exponens Daniel, dixit: Quod autem praecipit, ut relinqueretur germen radicum eius: regnum tuum, o rex, tibi manebit, postquam cognoueris potestatem esse caelestem. Si Dominus in ultionem superbiae tuae, o religiose, aut in poenam ambitionis tuae, aut ramum mansuetudinis, aut compassionis, aut alterius moralis virtutis abscindi, vel fructus bonorum operum ad tempus dispergi permiserit, modo amor, & custodia Paupertatis maneat, spes est quòd aliquando, eo miserente, & te oculis benignis aspiciente, resurgat. At si incipias radicem paupertatis euellere, & ut alter ludas loculos habere, & ea quae semel Deo obtulisti, sine timore rapere & suffutari, signum est maioris mali; si citò ad mentem non redieris, ita obduresces, ut fortè nunquam reparearis. Sed vnde constat Paupertatem religiosi status esse radicem? Ex eo certè quod Dominus dixit adolecenti, qui quomodo vitam aeternam possideret, rogauit. Si vis, inquit, perfectus esse, vade, vende quae habes, & da pauperibus. Achi dixisset: initium perfectionis inde tibi sumendum est, ut bonis temporalibus valedicas: haec est radix ex qua vsque ad caelum immo & supra caelum usque ad sedem Dei contemplandam caput attolles; si verò haec defuerit, vanum est tibi statum adipiscendae perfectionis arripere, aut substantia huius status velle tenere. Status hic religiosus quasi aceruus est omnium spiritualium

Dan. 4. 8.

Dan. 4. 23.

D Quae profecto nulli nos discrimini damni corporalis aut spiritualis exponit. Quia cum res temporales libenter dimittimus, non est cur propter illas congregandas aliquid peccatum timeamus. Et necessaria ad vitam nobis deesse non poterunt, cum propter regnum Dei terrena contemnimus. dicente Domino: Quarite primum regnum Dei, & iustitiam eius, & haec omnia adiicientur vobis. Neque etiam haec omnimoda rerum abrenuntiatio se largitioni elemosynarum opponit. Quia perfectus est pro Christo omnia simul tribuere, quam multis retentis, quaedam tantum paulatim ac per partes erogare. Vnde Hieronymus contra Vigilantium ait: Quod autem asseris, eos melius facere, qui vtuntur rebus suis, & paulatim fructus possessionum suarum pauperibus diuidunt, non à me eis sed à Deo respondebitur. Si vis perfectus esse, vende quae habes, & da pauperibus, & veni, sequere me. Ad eum loquitur, qui vult esse perfectus: qui cum Apostolis patrem, nauiculam, & rete dimittit. Ille quem tu laudas, secundus & tertius gradus est, quem & nos recipimus, dummodo sciamus prima secundis & tertiis praefenda. Et in libro de Ecclesiasticis dogmatibus scriptum est: Bonum est facultates cum dispensatione pauperibus erogare;

Matth. 19. 21.



bonorum. In eo Fides viget, Spes roboratur, Charitas feruet, Prudentia iubet, iustitia regit, Fortitudo exequitur, Temperantia famularur. In eo lectio occupat, Meditatio ruminat, Oratio poscit, Contemplatio suspendit, terrestria fugiunt, caelestia adueniunt, & spiritus humanus ineffabiles thesauros meritum acquirit. Quae autem erit quasi radix huius bonorum fasciculi? Id ex eius opposito cognoscamus. Paulus ait: Radix omnium malorum est cupiditas.] Ergo radix omnium bonorum erit sancta & sponte admissa Paupertas. [Illam appetentes saepe errauerunt a fide, & inseruerunt se doloribus multis.] Fidem, inquam, deseruerunt, ne opes amitterent, & mille labores, & afflictiones subierunt, vt eas possiderent. Ergo voluntate pauper, expeditus est, vt fidem seruet, & a multiplici cura & tribulatione se eximat.

1. Timor. 6.10.

Lib. de morib. c. 9.

Prou. 10. 15. Iob. 26.7.

Matth. 5. 3. Matth. 6. 19. Luca 6. 20. Luc. 10. 4.

Epist. 11. cap. 4.

Eruditè sanè Guilielmus Parisiensis paupertatem hanc initium esse vitæ religioſæ notauit. Dicitur, inquit, quòd illud nihilum, & vacuum, paupertatis fundamentum est, & infirmamentum virorum perfectorum. Quemadmodum enim auari & cupidi firmamentum & fundamentum suum habent diuitias, sic viri sanctitate perfecti paupertatem istam. Et hoc est, quod legitur in Prouerbijs: Substantia diuitis vrbis fortitudinis eius.] Hoc est, quod legitur in Iob: Qui extendit aquilonem super vacuum, & appendit terram super nihilum.] Aquilonem vocans Ecclesias de gentibus: quoniam ad Aquilonem maximè erant gentes eo tempore conuertendæ. Eandem vocans & terram cui benedixit Dominus, Aquilonè: Super hoc fundabat vacuum: & hanc terram appendebat super hoc nihilum, quâdo fundamentum Christianæ religionis ponebat, dicens: Beati pauperes spiritu, quoniam iporum est regnum caelorum.] Et expressius: Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra. Et: Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei.] Et: Nolite portare sacculum, & peram. Non aliter in eis fundaturus Ecclesiam. hoc est, in Apostolis, nisi prius eos ad istud nihilum deduxisset, & ipsos in eo stabilisset atque firmasset. Denique hoc nihilum fundamentum est omnis religionis professionis, & ordinis. Vnde & nullus religionem aliquam intrat nisi in isto nihilo primo fundatus fuerit, & firmatus, nisi ad illud voto se adstrinxerit, & in illo se perpetuò permanſurum promiserit. Diuites enim, religionem intrantes, quasi cameli gibbosi, per foramen acus intrant, & idco gibbositatem saeculorum, & marsupiorum temporalium bonorum, prius deponunt, alioquin non intrant.

Et Petrus Damianus, quàm rerum temporalium possessio religiosum a suo statu alienum faciat, & a Christo, cui se antea dicaerat, postea se iungat, his grauiſſimis verbis exponit: Quia ad ea, quæ reliquit, terrena qualibet congerenda, reuertitur, sicut alienus est a saeculo, quo se decreuit exuere, ita etiam regno Dei apertus ultra non est, quod indubitanter acceptum noluit possidere. Fatuus nimirum viator nec eò reuertitur potest, vnde irreuocabiliter prodiit, & quò ire disposuerat, non peruenit. Enimvero cum mudo renūciauimus, proprietatem nostram caelum esse constituimus, & nos illius proprietates consequenter effecti sumus, vt illud esset portio nostra, & nos peculiariter hereditas sua. Quapropter, ô Monache, vis in tuo foculo recondere Christum? Excute prius nummum: Neque enim in vno receptaculo congruè sociantur. Nam si verumque simul incluseris, alterum sine altero vacuum possessor inuenies. Quanto quippe in egenis mundi lu-

cris copiosior fueris, tanto a veris diuitiis ærumnosius inanescis. Nummus ergo si est, in aliena protinus iura concedat, vt vacuum tui pectoris arcam Christus inueniat. Magnus quippe hospes in diuersorij tui quærit angusta descendere, atque idcirco solus vult & sine confortibus habitare. Cedat, cedat terrena pecunia, vbi thesaurus caelestis admittitur. Sic ille.] Si ergo status noster postulat, vt nec voluntatem nostram teneamus, quanto magis postulabit, vt externis facultatibus renuntiemus? Si nos facit crucifixus mundo, quoniam modo illi, qui & nobis etiam crucifixus est, per curam bonorum temporalium poterimus deseruire? Si mortui sumus saeculo, quoniam ratione possumus res eius desiderare, & querere & in dominium nostrum vendicare? Paupertatem ergo, ô religioſe, initium tui status, ac radicem agnosce, quam si posthabueris, fortè poteris in cœnobio manere, sed haud dubiè non valebis professionem tuam integram inuiolatamque seruare.

Est etiam Paupertas status religiosi substantia, si non tota, at vna ex partibus præcipuis illius. Nam & via quadam est ex Paupertate, Castitate, & Obedientia composita, qua mundus relinquitur, ad perfectionem Charitatis noxiam cupiditatem destruentem acceditur, & ad caelum expeditius operatur. Sicut ergo brachia, aut manus, ad substantiam humani corporis pertinent, ita & sancta Paupertas status religiosi portio selecta est. Si illam deseras, quasi a tuo statu brachium, aut meliorem, & magis necessariam partem abscindis. Et non immeritò Paupertas brachio similis dicitur, quia non aliter religiosus status, quàm corpus brachii, Paupertate roboratur. Iure quoque potest potioribus corporis partibus comparari, quia sicut quædã sunt corporis partes adeo necessariae, vt illis præcisis vita pereat, nec corpus in esse humano subsistat; ita si ab statu nostro Paupertas tollatur, ille quidem omnino destruitur. Quare dixit Innocentius huius nominis tertius, abdicacionem proprietatis, non minus quàm custodiam Castitatis, ad statum religiosum pertinere. Hinc ille adolescens, qui tam alacriter viam perfectionis arripere voluit, ab eo retrocessit, quia dimissionem facultatum suarum sibi haudquaquam persuasit. Cum audisset autem adolescens verbum, abdicacionis scilicet rerum, abiit tristis, erat enim habens multas possessiones. Sic multi ab hoc statu quietissimo accipiendo se subtrahunt, ne a se eam dolore rerum temporalium possessionem abscindant. Sic etiam nonnulli post arripitum sanctum propositum, statum suum Deo charissimum quem professi sunt, labefaciunt, & non sine magno scandalo aliorum corrumunt, quia Paupertatem violant, ad quam voto se seruandam obstrinxerant. Status hic arcta via est, aut arctæ vitæ angustissima semita, quia itur in caelum; est angustæ portæ rimula, aut (si mauis) posticum stricissimum quo intratur in patriam: Quomodo per illud, cura & possessione rerum temporalium oneratus ingredieris? Est foramen acus per quod camelus transire non potest, quomodo tu camelo gibbosior factus, & rebus temporalibus, quæ latum occupant spatium, vndiquaque circumdatus, poteris per hoc foramen transire? Arctissimum nos foramen expectat, inquit Bernardus. Si, quem sequimur, consequi volumus: per angustam contendamus ingredi portam necesse est. Quid tu cameli gibbum: quid tu pecunioſe proditoris oculos tollis? Non sic impie, non sic ingredieris. Foramen acus huiusmodi sarcinas non admittit.] Et quid ille de postremo foramine

Cum ad monaster. de statu monach.

Matth. 19.22.

Matth. 19.24.

Ser. ecce nos vobis qui...

loqui

loqui videtur, quod in egressu ex hac vita sumus transiuri, sed si illud diuites tuò non transeunt, qui licet possunt habere diuitias, quoniam pacto tu securus pertansibis, & in conspectu Domini comparabis, qui fœdificagus redditus, & pollicitationis violator, res huius sæculi illiciter possedisti, & vt ambulare non posses per viam Dei, nec per ianuam perfectionis ingredi, te bonis temporalibus onerasti?

Est itaque Paupertas pars quadam religionis substantiæ atque naturæ: quam religiosi antiqui ita diligebant, & vitium oppositum proprietatis abominabantur, vt neminem aliquid temporale sibi referuantem in suum consortium admitterent. Vnde Cassianus de eo loquens, qui in monasterio recipiebatur, hæc ait: Diligentia summa perquiritur, num de pristinis facultatibus suis inhererit ei vel vnus nummi contagio. Sciunt enim eū sub monasterij disciplina diuini esse non posse, sed ne humilitatis quidem, aut Obedientiæ apprehensurum esse virtutem, nec illa cœnobij paupertate, ac districtiōne fore contentum, si in conscientia eius pecuniæ quantumcumque latuerit. Sed vbi primum exorta fuerit qualibet occasione commotio, fiducia stipis illius animatum, continuo de monasterio velut funda rotante fugiturum. Hæc nos in hoc Patre legimus, & licet non legeremus, non sine mœrore sciremus. Aliquos etenim vidimus post ingressum religionis ex aliqua causa nondum mundiali substantia nudatos, tanta sequitæ se gerere, tantis tentationibus impeti, tam miseris facibus instabilitatis vigeat, vt tandem victi ad seculum reuertantur, in quo domina facultates eos iam liberos factos non sine ingenti damno ipsorum, iterum in seruos recipiant. Qui autem ex his perseverant, certum est mille molestias sustinere, quo vnque onus bonorum temporalium abiciant, quo excusso statim, non sine admiratione incipiunt quasi in magna tranquillitate positi respirare.

Ex his constat quàm sit Paupertas viro religioso necessaria, siquidem est vna ex tribus, præcipua pars status illius, sine qua aut non poterit in cœnobio perdurare, aut saltem non valebit suæ obligationi satisfacere, neque fidelitatem Deo promissam custodire. Hæc est, quæ sanctus status nostri protegit, & ne putrescant, ab omni malo defendit. Murus reipublicæ secularis quisnam est? Opes, diuitiæ, thesauri, armamentaria, valida manus fortissimorum militum & regis, qui imperat cæteris, in gubernando dexteritas, & in bellando potentia. Et murus reipublicæ religiosæ quis erit? Non diuitiæ sed nuditas, non thesauri, sed rerum abdicatio, non aliud quid, quàm Deo fidens animosâ Paupertas. Quis hoc dicit? Deus ipse, qui fallere, aut falli non potest. Quis inquit, volens turrim ædificare, non prius sedens computat sumptus, qui necessarij sunt, si habeat, ad perficiendum? Quis rex iturus committere bellum aduersus alium regem, non sedens prius cogitat, si cum decem millibus possit occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se? Sic ergo omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Sensus est; Quod ædificanti turrim, sunt expensæ, & sumptus; & quod regi pro suo regno pugnanti sunt milites: idem est Christum in statu perfectionis sequenti paupertas. Ille sumptibus turrim extruit, ille alius militibus hostem vincit; hic verò se paupertate & rerum nuditate protegit. Qui ditior est, breuius & facilius ædificat; qui potentior est, efficacius se suaq; defendit; qui verò pauperior est, multo melius hostes animæ proterit, & turrim perfectionis, vsque

A ad finem perducit. Ille primus si sumptus habeat, & ille alius si potentissimum exercituum instruat, risui non patent, & hic similiter, si sit paupertatis amator, & cultor, vitam suam sublationibus dæmonum non exponit. Sapienter quidem Augustinus ait: Turrim quippe illam ædificare, & contra regem illum dimicare, esse discipulum Christi, est. Habere autem sumptus ad perficiendam turrim, & habere fortia decem millia contra viginti milia regis, renunciare est omnibus, quæ sunt eius. Et Venerabilis Beda. Ad illud ædificium, scilicet temporale, sumptus facimus, si non habita colligamus. Ad istud scilicet spirituale sumptus facimus, si & habita relinquamus. Ac postea: Manifestissime Dominus hac conclusione docet quid sit ædificare turrim, vel cum rege fortiore facere pacem, suū videlicet esse discipulum. Præparate autem sumptus ad perficiendam turrim, & mittere legationem ad impetrandam pacem, non esse aliud, quàm renuntiare omnibus, quæ possidemus. Ista itaque sunt expensæ, quibus palatium perfectionis ædificamus, isti exercitus, quibus nos ab hostium copiis protegimus, fidelis & inuiolata paupertas. Hæc ditior est omnibus opibus huius sæculi, & omni eius potentia fortior, quia seculum diuitias Dei nos sustentantes & potentiam defendentem inuoluit. Ego autem mendicus sum, & pauper; Dominus sollicitus est mei. Adiutor meus, & protector meus tu es: Deus meus ne tardaueris. Vni paupertati duo promittit, & solitudinem patris ad sustentandum, quid ditius? & adiutorium potentis ad protegendum, quid robustius? Nemo erit (vt opinor) in nostro statu tam insipiens, qui has paupertatis expensas, & hoc adiutorium mendicitatis non in magno pretio habeat, & cunctis huius sæculi diuitis, & potentia non præferat.

Status religiosus quasi stadium est, in quo cum damone hoste reterrimo, & cum sæculo nequam, & cum fallaci carne luctamur. Opes autem ad luctam aptissima, non sunt possessio rerum temporalium, sed nuditas. Quare Paulus ait: Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, & illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. Agon Ecclesiæ, siue locus pugnae, non alius dicitur conuenientiùs, quàm status religiosus, in quo non tantum pro obseruatione mandatorum decertamus, sed & multis rebus antea nobis licitis, quia cum consiliis pugnant, & a perfectione retardant, bellum indicimus. Si in hanc arenam descendimus, si victoriam reportare cupimus. Si in præmium victorum oculos intendimus, necesse est, vt ab omnibus rebus huius sæculi abstinemus. Si autem omnia etiam intima relinquenda sunt, & caro domanda (vt postea dicemus) ac propria voluntas proterenda; quanto magis res temporales abiciendæ sunt, quæ extrinsecus adiacent, & manifeste ad onus, & ad vincula nos detinentia, & ad impedimenta crassiora perfectionis pertinent. Qui cumque ad fidei agonem venimus, inquit Gregorius, (& idem multo melius iis qui ad perfectionis agonem veniunt, diceret) luctamen contra malignos spiritus sumimus. Nil autem maligni spiritus in hoc mundo proprium possident. Nudi ergo cum nudis luctari debemus. Nam si vestitus quispiam cum nudo luctatur, citius ad terram deiicitur, quia habet vnde teneatur. Quid enim sunt terrena omnia, nisi quedam corporis indumenta? Qui ergo contra diabolium ad certamen properat, vestimenta abiciat, ne succumbat. Nihil in hoc mundo amando possideat, nullas rerum labentium

Lib. 2. g. 9. ehang. 9. 1.

Lib. 4. in Luc. ad eundem loc

Pf. 39. 18.

1. Cor. 9. 25.

Hemil. 32. in ehang.

Lib. 4. c. 3.

Luc. 14. 28.

delectationes requirat, ne vnde ad votum tegitur ad A
 casum inde teneatur.] Hanc viam Paupertatis om-
 nes sancti patres decedentes nostri, qui statum religio-
 nis fundarunt, aut in eo se Deo consecrarunt, sectati
 sunt. Nullus illorum pestem proprietatis sibi inesse,
 aut gemmam paupertatis a se abesse sustinuit. Sciebant
 enim illi, ad vitam saecularem, & ad sanctitatem, quae
 in illa potest haberi, affectus paupertatem sufficere:
 at vitam religiosam illam ipsam sine paupertate effectus
 & operis lat esse non posse. Ideo non tantum vnum
 as, sed duo ara, non aliter quam sapiens illa vidua
 euangelij, in gazophylacium miserunt, vnum videlicet,
 quo quidquid actum habebant, comprehenditur;
 & alterum, quo affectus, omnia relinquens quae ha-
 bere poterant, continetur. Sic quisque eorum ore
 Domini laudatur, & in hoc negotio paupertatis reli-
 quis sua non relinquentibus antefertur. Omnes, in-
 quit, ex eo, quod abundabat illis, miserunt, hac vero
 de penuria sua omnia, quae habebat, misit totum vi-
 ctum suum.] Plane sancti monachi, ac religiosi to-
 tum vitam suam obtulerunt Domino, quia nihil pen-
 nitus reseruant, vnde vitam sustentarent, & suis
 necessitatibus prouiderent. In quo tamen non fue-
 runt temerarij, aut sui ipsorum occisores, quos Deus
 in suam domum suscipit, & qui pascit coruos, & ve-
 strit lilia agri, amatores suos sine victu, & vestitu, &
 aliis ad vitam necessariis, non derelinquit.

Luca 21.
2.

Mar. 12.
44.

Matth. 6.

Hebr. 12.
1.

Ideoque, & nos (vt verbis Pauli finiamus) [tan-
 tum habentes impositam nubem testium, deponen-
 tes omne pondus, & circumstant nos peccatum, per
 patientiam curramus ad propositum nobis certa-
 men. Quae enim est haec nubes? Est profecto Sancto-
 rum copiosissima multitudo, qui in statu religioso
 constituti, omnimoda nuditatis amatores extiterunt.
 Haec nubes non ex vaporibus, sed ex fidelissimis testi-
 bus diuinae bonitatis & prouidentiae coagulata est:
 quia nullus eorum, aut fame perit, aut frigore de-
 cessit, licet nihil omnino possiderent. Aequae adeo
 testati sunt Deum summe bonum, & summe fidelem
 esse, qui tam abundanter sperantes in se, omnibus bo-
 nis etiam, temporalibus, implet. O nubes salutaris, &
 salubris, quam Christus vernis iustitiae sole terra in su-
 blimen regione vitae perfecta exulit, vt terram, de
 qua sumpta est, id est, statum saecularem, sanctissimis
 exemplis, & sanctissima doctrina rigaret. Hanc nubem
 impositam habemus, siue (vt Graeca exemplaria
 legant) circumpositam, quia vndique nos tangit,
 quodcumque oculos uertamus. Hinc Benedictus
 alluget, hinc Bruno occurrat, hinc Dominicus, aut
 Hieronimus, aut Ignatius, aut alij religionum funda-
 tores, & eorum filij emergunt, mando pauperes,
 Deo dantes, qui nos ab aestu terrenarum cupidita-
 tum oppugnant, & in tentatione diffidentiae nos
 protegent. Eorum itaque exemplis animati, depo-
 namus omne pondus, omnem niuivum grauedi-
 nem humanae cupiditatis, & quidquid terrenum
 aeternitate mentem nostram in inferis deprimat,
 vt sceleris effectus ad nubem testium, quae supra nos est,
 id est, ad societatem sanctorum, euoluamus: eisque
 hae imitatione, illic vero premio iungamur. Depo-
 namus etiam circumstant nos peccatum, multiplex,
 inquam, illud peccatum, quod ex desiderijs diuitiarum, &
 ex cupiditatibus terrenis terrenata, non propter malu
 ipsatum, quasi ipsa mala essent, eum a Deo bene codi-
 ta sunt, sed propter culpam & fragilitatem nostram,
 emergit. Quod si aliqua necessitate, quae nuditatem
 comitari solet, & aliqua incommoditate prema-
 mur, non ideo desistendum est, immo per pa-
 tientiam curramus alacriter, molestas sustinen-
 tes ad propositum nobis certamen, vel ad locum

certaminis, in quo sumus cum hostibus pugnaturi,
 & post gloriosam victoriam, gloriae coronam ob-
 tenturi. Zachaeus turbam deseruit, & in arbo-
 rem Sycomorum ascendit, vt Christum transeun-
 tem videre posset. Vnus nobis, et illic scopus est,
 quoniam, & nos multo felicior, quia non Christum
 mortalem, & transeuntem, sed immortalem, &
 ad dexteram Patris sedentem, videre gelimus.
 Turba igitur rerum temporalium, quae nos tur-
 bat, & inquietat, relinquenda est, & in sanctam
 crucem religiosi status alacriter ascendendum: vbi
 Saluatorem nos ad praemia vocantem aliquando
 videbimus. Si ergo paupertas est quali radix, at-
 que initium nostri status, si est pars substantiae eius,
 si est robur & firmamentum ipsius, si est agilitas,
 quae ad luctum praeparat, & arbor alta atque pro-
 cera, ex qua Christum oculo contemplationis
 aspiciamus, constat, eam esse omnino necessariam,
 sine qua nec veri religiosi esse possumus, nec (si
 eam grauitur ledimus) ius ad caeleste regnum ha-
 bebimus.

Luca. 19.
4.

Quantis Paupertas prerogati-
 us emineat.

CAPVT III.

In republica huius saeculi nihil est diui-
 tibus vitium, nihil rerum abundantia pre-
 iudicium. Si regnum, magnam auri & ar-
 genti, & aliarum rerum, quae in opibus
 numerantur, copiam habeat, quid quod vile
 sit, quod nobile, aut conspicuum, aut admirabile,
 non habebit? Ad illud viri literatissimi & sa-
 pientissimi aduolant, vt acquisitam a se scientiam
 alios doceant: Si ruinas belli sit, strenuissimi du-
 ces, & milites fortissimi accurrunt, vt vel ex copioso
 stipendio sibi dato, vel certe ex spoliis ablatis di-
 tescant: mercatores impigri turmatim accedunt, vt
 vires suas ingenti pretio diuant. In eo regno
 nihil desideratur quod ad necessitatem, aut ad
 voluptatem aut ad splendorem, & magnificentiam
 pertineat. Non iam leges, sed ipsi oculis imple-
 tam, videbis illam sententiam Salomonis: Pecun-
 niae obediunt omnia,] vt vt leguntur septuaginta
 Argenti vilitati obediunt omnia.] Atque illud cu-
 iusdam ex poetis: *Soluit vixorem cum dote, fidemque & amicos
 Regens, & formam Regina pecunia donat.*
 Nihil est tam absconditum, quod diuitiae non eruant,
 nihil tam carum, quod non emant, nihil tam subli-
 me atque inaccessum, quod non obtineant. Si agri-
 tes, non sedes diuitijs, quibus rara in medicina
 coeuntur, sanitatem corporis assequeris, & vitam
 istam mortalem proteclabis: Si furias, & litias, diuiti-
 um suauissimos cibos, & pretiosa vina ministrant,
 Si algeas, diuitie aptissima ad fugis pellendum ve-
 stimenta, & ad splendorem & ostentationem au-
 uantia tribuent. Si aliqua alia indigeas, diuitiae
 eam ad tuam vitam ex terra snibus aduocabunt.
 Ipse suat huius vitae firma protectio ipsa, quibus re-
 gibus & principibus huius saeculi ad voluntatem
 eorum obsequimur, ipsa, quibus tranquillitate in
 libertatem, & amplissimos honores mercamur: ipsa
 tandem nonnulla homines abiectionis nobis
 bus vitis similes faciunt, & ad supremum imperium
 euehunt. Exaudiam, dicit Dominus, exaudiam caelos
 & illi exaudient tonitruum. Et terra exaudiet tinnitum,
 & vnam, & oleum, & haec exaudient lezabab.] Quo-
 modo, inquas, ego lezabab habitatoribus implebo, &
 eam spectabile & desiderabile facias? No aliter qui-

Eccl. 10.
19.

Herat.
191.

11. 11.

Osca.
21. 22.

dem

de qua annuendo desideris cœlorum, qui pluuiam temporaneam, & serotinam effundere cupiunt. Hi à te exaditi, & facultate pluendi, & terram fecundandi, donati, exaudiēt terram, nam eam rigabant. Terra autem exaudita à cœlo, exaudiēt triticum, & vinum, & oleū, quia segetes copiosas, & vites, & oleas procreabit. Hæc verò à terra exaudita exaudiēt. Iezrahel, eamque rerum abundantia complebunt. vt bonis cumulata ad omnia sufficiat. Ideo hæc bona diuitiæ appellantur, quia possessores suos quasi diuos aut Deos faciunt, vt quemadmodum Deus, & ipsi omnia habeant, & nullo indigeant. Ideo, & vocantur opes, quia ad omnia opem ferant. Ideo facultates, quia ad ea, quæ volueris, aut cogitaueris, facilitatem tribuant. Nec solum naturali necessitati deserviunt, sed & interdum virtuti exercenda profunt, vt elemosynæ, liberalitatis, & magnificentiæ: & læpissime ex hominum culpa ad innumera flagitia perpetranda conducunt. Iure ergo optimo diuitiæ haberi possunt, vt generalia quædam hominis instrumenta, quibus instructus, omnibus suis necessitatibus prouideri, & malis, aut bonis pro electione suæ voluntatis seruit.

Sed quid facimus? Nos Paupertatem laudadam susceperamus, at non eam, sed diuitias, & sæculi bona hucusque laudauimus? Verum est: sed id consulto fecimus, vt ex apparentibus bonis quæ mundani homines in diuitiis inuenerunt, nos verissimas Paupertatis laudes eliceremus. Sic igitur statuimus, paupertatem veras esse spirituales vitæ diuitias, quæ vna in spirituales vitam cuncta illa confert, quæ temporalibus diuitiis tributa sunt. Ac primò si diuitiæ, eos à quibus habentur, quasi diuos faciunt, & in temporalibus regno ex sententia iuris prudentium quasi principes reddunt, qui ad omnia, quæ voluerint, facultatem habeant: quis non videat, hæc per quamdam attributionem, vel per quoddam genus adulationis de diuitibus huius sæculi iactari, verissimè autem, & propriissimè Christi pauperibus conuenire? An tu Midam & Cœlum homines opulentissimos diuos dices! An mercatores superbos & luxui vacantes, quia pecunias multas habent, diuos & principes nominabis? Sat credo, hostitulos eis concedere non audebis, quia non solum à sapientibus, sed & ab stultis rideberis. At ego, & tu, & omnes in vniuersum sine vilo rubore, aut insipientia, immò cum magna veritate Petrum, & Paulum, & reliquos Apostolos, pauperes, & qui reliquerunt omnia, diuos vocamus, non quia dii sunt, sed quia beati, & sancti, & amici Dei, & principes cœli, dicimus. Reliquerunt illi omnia, & numquid aca repentes, opes habuerunt immentas, quia dum erant in hoc sæculo, Deus, & angeli, præstantissimam illis opem tulerunt. Immo si ad opes relictas saltem animo reuertissent, opem hanc specialem in Deo confidentibus assignatam amississent. Contempsissent vniuersa, & facultates magnas possederunt, quia facilitatem ad mira patranda receperunt. Es quidam eorum cum nihil haberet, claudo petenti sibi, elemosynam, eam dedit, quam omnes diuites huius mundi, erogare non possent. Argentum, & aurum non est mihi, quod possent. Atque hoc tibi, dos surge, & ambula. Quid hæc humilitate sublimius inquit Leo Papa. Quid hæc paupertate locupletius? non habet præsidia pecuniæ, sed habet dona naturæ, quem debilem, edidit mater ex vitro, sanum fecit Petrus ex verbis, & qui imaginem Cæsaris in nummo non dedit, imaginem Christi in homine reformauit. Huius autem thesauri opibus, non solum ille adutus est, cui grossas est redditus, sed etiam quinque millia viros, qui riuad ex-

A] hortationem Apostoli, ob eiusdem curationis miraculum, crediderunt. Et ille pauper, qui non habebat, quod petenti daret, tantam dedit diuinæ gratiæ largitatem, vt quemadmodum vnum hominem redintegrarat in pedibus, sic tot millia erudentium sanaret in cordibus, faceretque eos in Christo alacres, quos in Iudaica perfidia inuenerat claudicantes. Sic ille. Ac denique si diui sunt, qui cuncta possident, & nullius indigent, hi sunt illi, de quibus dixit Paulus: Sicut egentes, multos autem locupletantes; tãquam nihil habentes, & omnia possidentes. Quasi egébant illi, quia nullius rei temporalis dominium habebant, multos autem ditabant, quoniam, quæ sibi à Domino tum spiritualia, tum temporalia dabantur, & sibi, & aliis sufficiebant. Quasi nihil retinebāt illi, qui vniuersa reliquerant: quibus affatim quæcumque erant necessaria, à fidelibus ministrabantur, omnia possidebant. In penuria atque indigentia ponitur, quasi, (vt bene annotauit Anselmus) quia secundum leges huius sæculi pauperes erant: in possessione omnium, qua non tantum sibi sufficerent, sed alios quoque locupletarent; non additur, quasi, quoniam secundum veritatem, neque illis aliquid deest (Deo ipsis benignissimè prouidente) nec alius propter ipsos, nam illorum gratia Deus aliis opem fert, vt habeant vnde suis pauperibus necessaria suppeditent.

Rerum omnium abdicatio, & sancta ac animosa paupertas, sunt copiosæ diuitiæ, quibus Rex noster Christus, ad gubernandam & fundandam Ecclesiam apparuit instructus. Qui & pro aula regia vile stabulum, & pro throno sublimi, despicabile præsepium elegit, qui sæno pro vestibus pretiosis, & halitu animalium pro deliciis vsus est. Hæc sunt copiæ validissimæ, illa quidem, quibus in cruce nudus & nec haustum aquæ habens, aduersarios nostræ salutis, infernumque prostrauit. Hi sunt thesauri, quos in vita sua in vnum collegit, vt regnum suum in æternum mansurum statueret. Nam & vulpes foueas habent, inquit, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput reclinet. Et Ecclesiæ dicitur: Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, & saluator:ripe pauper. Ille paupertate Ecclesiæ suam ditauit, & in immensum auxit. Quod illa Pauli verba significant: Christus propter vos egenus factus est: cum esset diues, vt illius inopia vos diuites efficeret. Inopia Christi nos diuites facit, ergo inopia illius à nobis suscepta, & pro amore eius assumpta, thesaurus & diuitiæ, & opes appellari debent: & talis re vera est, quia nemo vniquam diues nisi diuitiis extitit, & nullus locuples, qui non opibus abundauit. Has opes Ecclesia in suo ortu dilexit, & omnibus thesauris huius sæculi præposuit. Et in actibus Apostolorum legimus: Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant prætia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. Quare ante pedes Apostolorum, nisi vt ostenderent (quemadmodum notauit Hieronymus) diuitias huius sæculi esse calcandas, & sanctam paupertatem debere pro diuitiis computari? Ita quidem fideles illi paupertatem diligebant, vt non solum facultates suas ad pedes Apostolorum proicerent, sed multæ etiam eorum voto se ad eam seruandam obstringerent. Ideoque ex aliquorum patrum sententiâ, quales sunt Basilus, Hieronymus, & Nazianzenus, Ananias, & Sapphira, subita morte puniti sunt, quod partem substantiæ suæ, quam Deo voti cõmissione consecrauerant, surreptiuè, & admisso sacrilegio pollicitationem suam violassent. Nec minori affectu nunc, & in omnibus retroactis ætatibus,

2. Corint. 6. 10.

Mat. 8. 20. Zach. 9. 9.

2. Cor. 8. 9.

Act. 4. 34.

Epi. ad Demet. 20.

Bas. ser. 2. de instit. monach. Hier. ep. 150. ad Hebr. 9. 1. Nazianz. carn. de Virg.



sancta Ecclesia paupertatem complexa est, quia licet A
 pauciores habeat comparatione multitudinis fide-
 lium, qui suis rebus renuntiant, tamen in his non
 minorem rerum temporalium contemptum, nec
 minorem nuditatem est inuenire.

Ps. 146. 9.

Iam autem inde patefit, paupertatem relinquen-
 tibus saeculum, esse ardentem diligendam, quod in
 ea omnia bona, & incunda diuitiarum habeant a
 malis ipsarum libera, & a periculis, & sollicitudinibus,
 quae diuitiis insunt, exempta. Paupertas volun-
 taria propter Christum suscepta, cibum parat, non
 solum quia ille providentissimus Dominus: [qui
 dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum
 inuocantibus eum,] pauperes suos sine vlla, aut cum
 minima cura ipsorum, reficit, & diuitibus, vt alimeta
 illis ministrent, praecipit: verum quia & ipsa pauper-
 tas ad modum cibi nos eam profitentes satiat, & vt
 nullius rei terrenae famem patiamur, efficit. Ipsa spi-
 ritualis, ac religiosa vita seruatur, & membra eius,
 scilicet virtutes, roborantur, & ad debitum augmen-
 tum perueniunt. Paupertas ve em subministrat, &
 satis honorificam, qua homines Deo dicati ipsius
 Dei expensis induuntur, tamquam serui, & familia-
 res ipsius, & tales esse ab omnibus cognoscuntur.
 Nec non & domum, & reliqua vitae necessaria praebet,
 nam illi propter quem pauperes cuncta dimiserunt,
 illos in suas domos, scilicet in coenobia satis pro
 omnibus ampla, & spatiosa & rebus necessariis in-
 structa habitatores admittit. Et, si [melior est (vt vere
 est) pugillus cum reque quam plena vtraque manus
 cum labore, & afflictione animi,] quis non videat
 frugalitatem pauperum Christi, regum opibus esse
 praeponeandam, qua sine vilo labore aut anxietate,
 necessaria ad victum, & ad vestitum suscipiunt, vt ab
 his abiectis curis liberi, Deo, & sibi, & proximorum
 vtilitati vacare possint? Ea virtus, quae ita nos ditat,
 vt nulla re temporali indigeamus, vt nihil ex hoc
 mundo quaeramus, vt ex his, quae nobis ad vsum quo-
 tidianum offeruntur, aliquid tamquam minus ne-
 cessarium relinquamus, vt non semel ex cellis nostris
 aliquid tamquam superfluum reiciamus, merito
 diuitiarum nomine insignitur, quam, qui (Deo donante)
 possidet, non est cur alias diuitias, aut opes
 concupiscat.

Ecc. 4. 6.

Quia autem pauperes Euangelici hanc gemmam
 splendidissimam paupertatis possident, diuites iure
 dicuntur, quasi magnas diuitias possiderent. Est
 quasi diues, inquit Salomon, cum nihil habeat, &
 est quasi pauper cum in multis diuitiis sit. [Quisnam
 hic dicitur diues nihil habens, nisi qui vniuersa pro-
 pter Dominum relinquens, moderato vsu rerum
 sibi a religione administrato contentus est? Et quis
 pauper in multis diuitiis, nisi qui temporalia multa
 possidet, & tamen ea non audet insumere, & auaritia
 possessus ad plura coaceruanda cogitur aspirare? Vel
 t. malis cum venerabili Beda presbytero, diues, ni-
 hil habens, est diges mundi, qui multa quidem pos-
 sidere videtur, sed cum Deum non habeat, in die
 dormitionis suae manus suas bonorum vacuas inue-
 niat. Pauper autem innumerabiles diuitias possidet,
 est pauper Euangelicus, qui cum Deum ipsum can-
 didorum bonorum fontem gestet in corde, bonis in-
 digere non potest. Si ergo hic nullo eget, & multas
 diuitias habet, diues est. Vere diues, qui paupertatem
 spiritus habet, virtutes veras animae opes ad se trans-
 tulit possidendas. Namque vera & actiuosa fides, vt
 ait Simon de Cassia, sine paupertate non est, sine ea
 inquam paupertate spiritus, quae rebus terrenis ren-
 untiet diuinam legi contrariis, quae magnum fidei
 testimonium perhibet, cum homines ad se trahit.

Pro. 13. 7.

Beda. lib. 2. m. Pro. c. 13.

Lib. 10. in euang. c. 4.

Ipsa est spei praxis, cum propter caelestia terrena
 quaeque contemnit. Charitas sine ipsa non graditur,
 cum a viuilibus hominem auellit, vt inuilibilia capi-
 at: & de Deo solum ditari cupiens, pauperem, in
 terrenis, suum constituit possessorem. Diues in mun-
 do, pauper de Deo: pauper in mundo, diues de Deo.
 Nemo diues de diuinis atque terrenis simul inela-
 ruit. Ex vno diuitem, ex altero pauperem fieri lex
 aeterna compellit.] Vere diues, quia si diuites opi-
 bus suis pretiosa & magni valoris comparant: sic ille
 paupertate sua preciosissimum preciosorum compa-
 rauit. An est aliquid regio caelorum pretiosius. An
 aliquid illustrius aut optabilius? Sed Beati pauperes
 spiritu, ait Dominus, quoniam ipsorum est regnum
 caelorum.] Non tantum in futurum erit, sed iam
 actu est. Quoniam si tu rem absentem emas, & pro
 ea nummos persoluas, tibi manet, & tua est, licet
 nondum in domum intuleris; cur regnum caelorum
 non erit actu pauperum spiritu, qui illud oblati in
 pretium omnibus huius mundi rebus ipsam emerunt,
 & ius ad illud comparant? Certè iam illorum est.
 Quis autem ditior eo, qui tam amplum, & aeternum
 regnum in suum dominium vendicauit? Si autem
 paupertas spiritus & affectus diuitem facit, multo
 excellentius Paupertas spiritus, & actus, quae excel-
 lentior, & perfectior est, & illam primam compre-
 hendit, diuitem & abundantem efficit. Hinc autem
 alia nobilitas huius paupertatis elucet, quod ita pau-
 pertas iustum diuitem facit, vt etiam, eum faciat re-
 gem, cuius diuitiae maiores & abundantiores esse
 noscuntur. Nam si rex est, qui regnum possidet, cur
 pauper spiritu non erit rex, qui regnum caeleste &
 semper duraturum habet? Certè sponsus reginae rex
 est, & Beatus Franciscus dicebat (vt Bonaventura re-
 fert) hanc virtutem Paupertatis, esse reginam, quia
 in rege regum, & in regina matre ipsius tam praelan-
 ter effulset. Si ergo rex, & diues, vt rex, qui pauper-
 tatem sibi in sponfam adiunxit.

Mat. 53.

C

in vita. 7.

D

Lib. 3. p. 10.

E

Ps. 111.

Pauper quidem Euangelicus ditior est homine
 huius mundi ditissimo, quia iste semper eget, ille vero
 tanquam omnia habens nihil huius mundi concu-
 pit. Luculenter satis Ambrosius hoc argumentum
 profecit: ita enim ad Simplicianum scribit: Nonne
 videtur hic magis diues, hic magis rex, qui sibi abun-
 dabat, suas regebat cupiditates, vt nihil alienum con-
 cupisceret: ille autem egentissimus, cui aurum suum
 vile, alienus palmas pretiosissimus existimabatur?
 Sed qua ratione egentissimus, cognosce: Quia diui-
 tia iniuste congregata euomuntur, radix autem ius-
 torum manet, & vt palma floret. An non egentior
 paupere is, qui tamquam vmbra praeterit? Hodie im-
 pius exaltatur, cras non erit, nec inuenietur aliquis
 locus eius. Quid est itaque diuitem esse, nisi abun-
 dare? Quis autem abundat, qui fit animo contractior?
 Qui autem animo contractior, vtique angustior.
 Quae igitur in angustiis abundantia? Non ergo
 diues, qui non abundat. Vnde pulchre David:
 Diuites, inquit egerunt, & esurierunt;] Quo-
 niam cum haberent scripturarum thesauros cae-
 lestium, egerunt, qui non intellexerunt, & esu-
 rierunt, qui nullum spiritualis gratiae gustarunt ci-
 bum. Nihil igitur affectu sapientis ditus, nihil in-
 sapientis egentius. Nam cum regnum Dei pauperum
 sit, quid esse locupletius potest? Et ideo praclare
 Apostolus: Oculitudo, inquit, diuitiarum sapientiae,
 & scientiae Dei!] Praclare etiam David, qui in via
 testimoniorum caelestium, quasi in omnibus diuitiis
 delectabatur. Expressit Moyses, qui ait Nephtalim
 facietas accipientium. Nephtalim, abundantia signi-
 ficatur Latina interpretatione, vel dilatio. Ibi ergo

abundan

abundantia, ubi facietas: ubi autem fames cupiditatum, ubi inexplebilis appetentia, ubi utique paupertas, sed quia vix vlla rei pecuniaria, vel mundi huius cupiditas, facietatem habet, ideo addidit: [Et replebitur benedictione.] Secundum hac Petrus Apostolus definiuit: [non in auro, & argento, & indumentis femininarum esse ornamentum, sed in occulto cordis homine, atque abscondito:] vnde nulla se exuat, cultum pietatis, ornam gratia, vita, aeternae hereditatem. Hac omnia Ambrosius, & optimè.] Nam ita manifestum est solum illum diuitem esse, qui terrena contemnit, vt id Philosophi sola naturali luce exculti cognouerint. Hinc Diogenes, quem inter alios refert, & admiratur Basilius, se Alexandro pene totius orbis domino ditiozem reputauit, quod hic ad statum suam tam sublimem pluribus indigeret, ipse vero philosophus paruo contentus viueret. Hinc Socrates dixit se non admirari diuitem superbum, & arrogantem, nisi experiretur illum diuitias dispensasse, & in alio effudisse. Hinc Seneca: Cui cum paupertate bene conuenit, diues est. Non qui parum habet, sed qui plus cupit, pauper est. Hinc Plutarchus: Vt qui vestes flagellant, corpus non attingunt, sic qui paupertatem exprobrant, hominem non tangunt sed externa calumniantur. Hinc Epicetetus, vt qui geniti sunt inter Persas, non desiderant in Graecia habitare, ita & pauperes, quibus diuitiarum nota est natura, non student ditescere. Videntur isti legisse illud Salomonis: Auarus non implebitur pecunia, & qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis. [Et ignis (auariciae) numquam dicit, sufficit: & melius iudicant rebus carere, quae non satiant, & inutilibus desideris nuntium remittere.

Iam quid amplius habent diuitie, vnde diligendae videantur? Illae possessores suos cingunt, & a nonnullis malis huius vitae tuentur? Sed paupertas multo potentius pauperes protegit, aut (vt verius dicam) Deo curae est, eos, qui sibi fiderunt, a malis eripere, & liberare. Iudicabit (inquit Dauid) pauperes populi, & saluos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatores.] Nam quos melius populi Dei, vel Ecclesiae pauperes intelligimus, quam illos, qui omnia propter Deum dimiserunt? His Christus iura dabit, hos a suis hostibus eripiet, coram illis diabolum importunum calumniatorem humiliabit. Diuitiae quoque diuitibus tribuunt, vt possint coram regibus apparere, & magna illis obsequia praestare. Sed paupertate nos Christo gratissimum obsequium impendimus, nam quasi holocausto per hanc virtutem illi nos consecramus. Atque adeo Chryostomus postquam dixit, martyres Deo holocaustum suorum corporum obtulisse, addit: Potes tu quoque si velis tale offerre sacrificium. Quid enim si igne corpus non combusseris? Sed potes alio igne, puta paupertatis voluntariae, igne afflictionis. Licet enim delicatè laetèque, & splendide vitam agere, laboriosam autem & acerbam vitam eligere, an non est oblatio holocausti? Hac ille.] Et quidem corporalia holocausta animalium irrationalium iam cum lege veteri transierunt, sed illis in noua lege holocaustum nobilius successit, quo martyres pro defensione fidei vsque ad effusionem sanguinis decertarunt. Huic autem, assertore Bernardo, similis est voluntaria paupertas, cui simile premium promissum est. Veruntamen, ait, quid sibi vult, quod eadem promissio facta est pauperibus, & martyribus, nisi quia verè martyrij genus paupertas voluntaria est?] Magnè certè obsequium isti pauperes saeculi, & diuites Ecclesiae, Deo praestant, siquidem illi, & holocaustum offerunt, & quoddam martyrij genus sustinent. Insuper, & id boni ab

A minibus huius saeculi diuitis tribuitur (an verum sit ipsi viderint) quod curis eos sustentandae naturae liberent, quia habent vnde omnia necessaria sibi prouideant, habent & famulos, qui ipsis dormientibus, & stertentibus, pro illis laborent, & cibos ac vestimenta parent: nec animaduertunt quatis haec parua commoditas (si tamen comoditas sit, aliorum, quos natura fecit aequales, sudore viuere) incommoditibus, & curis, & sollicitudinibus sit admista. Hoc sane bonum habet verisimè sancta paupertas: Tu o diues habes arcam, & crumenam, vnde tua indigentia prouideas: Sed ego pauper habeo astantem mihi specialem prouidentiam Domini mei, mihi necessaria ministrantis, & victum, ac vestitum, & reliqua sine vlla mea cura, absque vllis expensis a me factis, mihi tribuentis. Tibi diuiti mancipia infida, & coacticia, vel certè famuli spe lucri necessaria parat: mihi pauperi homines liberi, virtute praestantes, quorum multi sunt nobiliores genere, & sanguine clariotes: non ob lucrum, sed ex puro Dei amore & ex intima beneuolentia me adiuuant, & meae pusillitati ministrant. Pauperes euangelici sunt secundum altiore sensum, illa volatilia caeli, quae cogitationibus, & desiderijs semper caelestia petunt, & licet non serant, neque metant, pater tamen caelestis pascit illa. Sunt & lilia agri vitae puritate candida, & virtutibus odorifera, quae licet non laborent, neque neant, at nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut vnum ex istis; quoniam ille ex amictu rex terrenus agnoscebatur, vnumquodque verò istorum spirituum liliorum Christi seruis, & imitator agnoscitur. Et sicut Deus hominem posuit in paradiso voluptatis, & abundantissimè de omnibus illi prouidit, vt caris solatus caelestia contempleretur: ita & nunc Euangelicos pauperes, vitam religiosam proficentes, in caenobijs, quasi in quibusdam hortis amenissimis, collocat, vt curis temporalium exempti, Deum, ac diuina contemplantur.

Tandem mundani aesserunt, quia, & libertas, & tranquillitas, & honor, ac ingenuitas, diuitias comitari solent. Sed quis non videat eos decipi, & toto caelo aberrare? Quis liberum vocet, quem pecuniae seruitus ligatum tenet? Possidere se credunt diuites (inquit Cyprianus) qui potius possidentur: census sui serui, nec ad pecuniam suam Domini, sed magis pecuniae mancipati.] Quis tranquillum, cui spinæ reru huius saeculi inextricabiles curas ingerunt? Quis honoratum, quem, aut cuius parentes, multi furu ac rapinarum arguunt? Quis ingenuum, quem non aorum praecleara gesta, sed praesens auri & argenti copia apud imperitos clarum efficit? At Euangelicus pauper verè liber, & tranquillus, & honoratus, & ingenuus est. Liber quidem: quoniam cum auariciae & cupiditati non seruiat, non est a quo impediatur, quominus virtuti vacare, ac Deum sequi possit. De quo haec pulchre Lactantius. Nemo virtuti fauet, nisi qui sequi potest: sequi autem non facile est omnibus: ij possunt, quos paupertas, & rerum indigentia exercuit, & capaces virtutis efficit. Nam si virtus est tolerantia malorum, non capiunt ergo virtutem, qui semper in bonis fuerunt; quia mala neque experiri sunt, neque ferre possunt, assuetudine ac desiderio bonorum, quae sola nouerunt. Eo fit vt pauperes & humiles Deo credat facilius, qui sunt expediti quam diuites, qui sunt impeditis plurimis implicati, immo catenati & compediti seruiunt ad nutum dominae cupiditati, quae illos inextricabilibus vinculis irretiuat: Nec possunt in caelum aspicere, quoniam mens eorum in terram prona, humisque defixa est. Virtutis autè via non capit magna onera portantes.

Augustus

1. Petri. 3. 3.

Hom. 2. 4. ad adolefcentes.

Ep. 10.

In moral.

Ecl. 5. 9. Prou. 30. 16.

Pf. 71. 4.

Chryost. hom. 11. ad Heb.

Mat. 6. 26.

Cypr. lib. de lapsis.

Lact. lib. 7. inst. 2. 1.

Angustus admodum trames est, per quem iustitia hominem deducit in cœlum. Hunc tenere non potest, nisi qui fuerit expeditus, & nudus. Nam isti locupletes multis & ingentibus sarcinis onerati, per viam mortis incedunt, quæ latissima est, quoniam latè perditio dominatur. Hæc ille.] Et eum illo & omnibus rectè sentientibus, ego liberum iudico eum, qui, vt Dominus, libere & sine nimio affectu rebus necessariis sibi ministratis vitur. Seruum verò eum, qui licet homini non seruiat (quod tolerabile est, quia homo pro ingenta conditione sua cum mæcipio suo mitius seget) tamè domino vilissimo, nè pe auro, vel argento, quod omnis humilitatis est expers, misere famularur.

Tranquillus & quietus est quoque Euangelicus pauper: nam nec eum conseruandarum diuitiarum edax cura sollicitat, nec augendarum opum (quæ si non augeantur, vsu minuuntur, & pereunt) sollicitudo mordens inquietat, nec aliorum, qui plura possident, inuidia molestat. Debitorem non fugit, quia nemini pecunias debet; aduersus creditoris negligentiam & infidelitatem non infremit, quia nihil sibi debetur: & quia onere rerum terrenarum expeditus est, fures & raptores non pertimescit. Desideriis terminum posuit, & ideo non habet intus in corde, quod latitiam & tranquillitatem surripiat. Securus dormit, quia scit quod nec à se possessa euanescent, neque necessaria (quæ à Deo ministrantur) vnquam deficient. Huius animus pacatum & quietum Ioannes Murelius Ruremundensis auctor pius, & eruditus, qui in initio præcedētis sæculi floruit, egregiè satis cecinit, cuius elegiacum carmen peigratum erit audire. Sic ille ait;

Murel.
lib. 2. alog
62.

*Non tua centenis scinduntur inqera bobus;
Diuite non arca fulua metalla regis.
Te tamen & moror refugit, curaque relinquunt:
Tranquillus letos transigis vsque dies.
Vt quondam fertur, cum chara vxore Philemon
Pauper in exigua consensisse casa:
Qui Paupertatem nec iniqua mente ferebat,
Nec regum miseris discupiebat opes.
Cuius ad hospitium dignatus Iuppiter ire,
Mercurusque suo cum genitore fuit.
Sic tua decurrit populo mirabilis ætas,
Vt certè nullum ferre poteris onus.
Spernis enim, solida nitens virtute, caducas
Diuitias, soli fidis & ipse Deo.*

lib. 20.
15.
14.
10-12.

Hæc sanè in omnes sanctos quadrant, à quibus cum longè sit diuitiarum possessio, longè etiam est molestia curarum; Deest illis cruciatus conscientie, quibus deest possidèdi cupido. Diues diuitias, quas deuorabit, euomet, & de ventre illius extrahet eas Deus.] Pauperes verò fiducialiter requiescent. Quia Dominus fundauit Sion] Ecclesiam scilicet, & partem eius selectiorem, nimirum vitam religiosam, [& in ipso sperabunt pauperes populi eius.] Quis igitur eos tanget? quis euigilare faciet? quis ab eis tranquillitatem eripiet? Si in Domino ipsi omnipotente confidant, & in tam tuto loco requiescant, cui malum, aut flagellum appropinquare non potest?

Est etià omnibus honorabilis pauper, quia illum vniuersi suspiciunt, quem sciunt non fortuna insidiante (si hoc nomine vti liceat) aut necessitate cogente diuitias perdidisse, sed voluntate eligente propter amorem Christi omnibus renuntiasse. Honore dignior est certè, qui ex animi magnitudine terrena calcit, quam qui ex diffidentia, aut pusillanimitate terrenis inhiat, & desiderio auri & argenti tamquam

A hero imperioiissimo obsecundat. Hic autem diues est, in diuitiis suis amorem collocans; ille Euangelicus pauper, amorem à diuitiis auertens, & vt liberior sit, eas actu reiciens. Ergo hic nobilior, & glorioiior, & felicioi inuenitur. Ad quod facit illud Minutij Felicioi in suo Octauio. Quod plerique pauperes dicimur, non est infamia nostra, sed gloria, animus enim vt luxu soluitur, ita frugalitate firmatur; & tamen quis potest pauper esse, qui non eget, qui non inhiat alieno, qui Deo diues est? Magis pauper ille est, qui cum multa habeat, plura desiderat. Dicam tandem quemadmodum sentio. Nemo tam pauper potest esse, quam natus est. Aues sine patrimonio viuunt, & in diem pascea pascantur; & hæc tamen nobis nata sunt, quæ omnia, si non concupiscimus, possidemus. Igitur vt qui vitam terit, eo felicioi, quo leuior incedit; ita beatioi in hoc itinere viuendi, qui paupertate se subleuat, non sub diuitiarum onere suspirat; & tamen facultates, si viles putaremus, à Deo posceremus vtique. Indulgere posset aliquantum, cuius est totum: sed nos contemnere malamus opes quam continere.] Felicioi quidem sunt pauperes spiritu, qui à Deo cœlestia, & quæ beare possunt, possunt, terrena verò, quæ sordidare queunt, postulare negligunt. Illi sunt veri nobiles Ecclesiæ, si paupertati alias virtutes adiungant, quia eos abrenuntiatio, & desideria rerum diuinarum, similes magnatibus cœli, scilicet sanctis Angelis, reddiderunt. Proinde si cœlestis est ipsa paupertas, inquit Simon de Cassia, si regnat in Angelis, orare Christus edocuit, fiat voluntas tua sicut in cœlo, & in terra, vt velut Angeli natura pauperes sunt, nihil sibi conquirunt in proprio, nec aliud præterquam Deum volunt, sic in terra in hominibus plenè fiat.] Hoc igitur est verbum bonum, quod Christus pastor bonus eructauit, vt ait Tertullianus, quonos edocuit vbi veras diuitias inueniemus. Beati, inquit, pauperes spiritu.] Nam si diuitiæ ob aliquam felicitatis vmbralem assequendam, quaruntur, paupertas ipsa spiritus, diuitiarum & thesaurorum est cumulus, quæ non fictum felicitatis nomen, & miseriam veram, sed veram huius vitæ beatitudinem, & gradum ad æternam obtinendam confert. Vt quid ergo vos insensati filij Adam, vt Bernardi verbis vos alloquat, diuitias queritis, diuitias desideratis vsque adhuc cum iam beatitudo pauperum diuinitus commendata, prædicata mundo, credita sit ab hominibus? Quærat eas paganus qui sine Deo viuunt. Quærat Iudæus, qui terrenas possessiones accepit. Sed qua fronte magis, aut qua mente Christianus, diuitias querit, postquam Christus beatos esse pauperes prædicauit? Quousque filij alieni, quousque vanitatem loqueretur os vestrum, vt beatum dicatis populum, cui hæc sunt, hæc visibilia: hæc præsentia: cum filius Dei os suum aperiens, locutus sit veritatem, beatos esse pauperes, & vè diuitibus?] Iam iam (vt finiam) veras diuitias in paupertate collocatas esse cognoscite. Ipsa nobis victum, & vestitum, & domum, in qua habitemus, & reliqua necessaria affatim præbet: ipsa nobis pretium magnum, quo cœlestè regnum emamus, tribuit. Ipsa nos curis liberat, mentem pacat, & in necessitate protegit. Ipsa honore nos afficit, & similes Angelis, nihil huius mundi querentibus, facit, & in quadam altissima spe felicitatis æternæ constituit. Ipsa denique nos satiat, & à corde nostro desideria rerum terrenarum auellit. Est igitur vniuersis mundi opibus præponenda, quam qui diligit, diues est; qui affectu amplectitur, lætus est; qui propter Deum mente & opere custodit, beatus est.

Minut. ad
Murel. gen.

Simon de
Cass. lib.
10. c. 4.

Tert. lib.
4. rot.
Murel. lib.
10. c. 4.

Bern. ser.
in esp.
sanc.

Primus gradus Paupertatis, omnia propter Christum voto emisso relinquere.

CAPVT IV.

COGNITA sanctæ paupertatis tum natura, tum necessitate, tum præstantia, ad eius gradus exponendos accedamus: quos nonnulli ex doctoribus variè numerarunt. Sed nos, qui religiosis hoc opus dicamus, eos gradus in medium proferemus, quos ipsi ordinatè debeant ascendere. Nam pro ratione status sui, & contemptus huius seculi, quem profitentur, illis incumbit aliquas actiones huius virtutis arripere, quas pauperes spiritu tantùm, quorum est, res temporales sine immoderato affectu possidere, non tenentur obseruare. Primus ergo religiosæ paupertatis gradus est, quo homo ad perfectionem, per vitam religiosam vocatus, omnia temporalia, quæ acta habet, aut in posterum habere potest, per votum paupertatis emittit, & nudus post Christum nudum ire contendit. Meritò primus gradus, quoniam ab eo vita religiosæ sumit exordium. Qui enim sua nec dum dimittit aut necdum illis dimissis votum paupertatis fecit, religiosum statum non habet, nec religiosus potest vocari. Vnde & nouitij qui in tyrocinio religionis probantur, verè & essentialiter religiosi non sunt, quousque tempore probationis elapso, votis se paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ constringant. Quare & ante emissionem votorum vel tacitam vel expressam, impune possunt ad seculum redire, & habitum religiosum deponere, diuitias quaerere, uxorem ducere, & pro suo arbitratu se gubernare. Non tenentur ad caeremonias ordinis, licet eas, vt assuecant, obseruent nec obligantur, ea quæ sunt regulæ, custodire. Quod si nonnullis priuilegijs religiosorum gaudeant, non est quia religiosi sunt, sed quia cum sint in via ad statum religiosum suscipiendum; vult mater Ecclesia illos quasi donis quibusdam ad statum, ad quem à Domino vocantur, animare. Et quemadmodum ille, qui ius habet ad regnum, licet nondum sit rex, aliqua habet in republica priuilegia, & aliquos honores congruos illi, qui post modicum futurus est rex, ita æquum est vt ille, qui ob assumptum habitum, quasi ius habet vt religiosus sit, aliquas prerogatiuas habeat conuenientes illi, qui post paucos menses futurus est religiosus. Hæc cum ita sint, perfectus pauper futurus, & per paupertatem perfectam ad diuitias celestes sanctis preparatas ascensurus; ab hoc gradu initium sumat, vt omnia sua, nec obolo reseruato, dimittat, vt pauperibus tribuat, vt voto emisso, se Christi sectatorem profiteatur, ita vt propter illum omnia contempnat. Concipiat animo ardentia perfectionis desideria; interrogetque dominum & saluatorem suum, quoniam modo eam consequi poterit. Audier autem ipsum dicentem sibi: Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me! Et quandoquidem voluit esse perfectus, vendat, & distribuatur, & dimittat sua, vt possit expeditius Christum imitatione sequi, & ad fastidium perfectionis, quam in sponfam concupiscit, peruenire.

Non erit tibi difficile, o vir felix, qui ad religionem vocaris, & verè felix, si vocationi responderis, & vitam tuam vocatione dignam institueris, non erit tibi difficile, res tuas, licet totam mundum possideas, re-

Matth. 19. 21.

Alinquere: si bona paupertatis, & incommoda bonorum temporalium consideres. Bona paupertatis iam audisti, cuius beneficio diues eris & beatus, & rebus ad vitam necessariis sine molestiis, & anxietatibus, & curis vteris, & in præmium centuplum (de quo postea) & vitam æternam recipies. Incommoda autem diuitiarum quis enumeret? Sicut enim arbores vacuas, & fructu carentes, nemo tangit, arbores verò fructibus oneratas quisque pomis spoliatur, earumque ramos discindit: Sic pauperi nemo molestus est; diuites verò, consanguinei, amici, famuli, & reliqui opibus eorum egentes, mille molestiis afficiunt. Sauritas diuitis, id est, abundantia diuitiarum, non finit eum dormire, nec inter curas & anxietates iucundam quietem captare. Diuitiæ sunt seminaria discordiarum, quarum causa etià inter propinquos & fratres solent odia & rixæ suboriri. Abraham & Loth factis propinqui erant, postquam autem ditati sunt, statim orta sunt iurgia inter pastores eorum. Nec poterat eos capere terra, vt habitarent simul (ait sacer textus) erat quippe substantia eorum multa, & nequibant habitare communiter. Facultatum multitudo, inquit Chrysostomus, statim causa est discelsus, diuisionem operatur, concordiam impedit, & cognationis vinculum dirimit. Diuitiæ sunt catena, & compedes, quibus diabolus mortales illaqueat, quas auctore Bernardo iustus per os Davidis abiectis se gaudet, cum canit: Quoniam ipse, scilicet Dominus, liberauit me de laqueo venantium, & à verbo aspero. Verba sancti huius doctoris sunt. Sed ecce quia iam venatores, & bestias nouimus; quisnam sit laqueus iste, quaerendum est. Nolo ego adinuenire ex me, nec dubium aliquod tradere vobis. Ostendat nobis Apostolus laqueum istum, ipse enim venatorum illorum non ignorat cogitationes. Dic nobis, inquam, beate Paulè, quis sit laqueus iste diaboli, à quo se liberauit fidelis anima congratulatur? Qui uolunt, inquit, diuites fieri in hoc seculo, incidunt in tentationes, & in laqueum diaboli. Ergone laqueus diaboli diuitiæ sunt huius seculi? Heu quam paucos inuenimus, qui ab hoc laqueo liberari exultent, quam multos, qui dolent, quod parum sibi uidentur intrinse, & adhuc quantum possunt ipsi se inuoluere, & intricare laborant! Vos qui reliquistis omnia, & secuti estis, non habentem ubi caput suum reclinetis, filium hominis, exultate, & dicite: Quoniam ipse liberauit me de laqueo venantium. Confitemini illi roto corde, tota anima, tota virtute, & ex ipsis medullis cordis gratias ei agite dicentes: Quoniam ipse liberauit me de laqueo venantium. Sic ille.]

D Diuitiæ sunt onera, quarum curis & sollicitudinibus oneramur, & opprimimur, & quo quisque ditior est, eo absque dubio incedit onustior. Onus autem hoc diuitiarum ideo pertimescendum est, quia non tam corpus quam mentem opprimit, & sæpe immoderatè dilectum in terra mergit. Augustinus sanè hac ratione diuitem ad eleemosynas erogandas impellit, quod si erogat ex parte, suum pondus alleuiat. Quid est quod dicis, ait, quid est quod dicis, ego diues, ille pauper? Sarcinam tuam commemoras, pondus tuum laudas? Et quod grauius est, constrinxisti ad te sarcinam tuam, ideo non potes porrigere manum. Onera te, liga te: quid te iactas? quid te laudas? Solue vincula tua, minue sarcinam tuam. Da comiti, & illum adiutas, & te releuas. Inter has voces tuas laudantes sarcinam tuam, adhuc Christus petit, & non accipit: & obtendis nomen pieratis crudelibus uocibus, & dicis: Et quid seruo filiis meis? Non dissidet ab hoc sensu Augustini Grego-

Ecds. 11

Gen. 13. 6.

Chrysost. hom. 33. in Genes.

Pf. 90. 3. Bern. ser. 3. in eundem Pf. salmum.

1. Tim. 6. 9.

Pf. 90. 3.

Aug. lib. de discip. Christi. c. 8. To. 9.

& à curis, & molestiis expediti, Deo & saluti nostræ vacare possimus.

Deinde oportet vt paupertatis amator, non tantum actione, sed multo magis affectu & voluntate (vt dictam est) omnia quæ habebat, abiciat. Quid enim refert, bona temporalia digito, id est, actu externo relinquere, & tota manu, id est, affectu voluntatis retentare? Certè qui sua affectu retinet, licet opere relinquat, testimonio Marci Eremitæ viri sanctissimi, ac Ioannis Cassiani, Euangelicus pauper non est. Ille sic ait: Nonnulli verò, etiam carentes opibus, affectum auaritiæ fouemus in rebus leuissimis, ideòque miserrimos sumus his, qui multa possederunt, quia relictis vniuersim prauis affectionibus, quasi Deum lateamus, calliditati voluptatis affectum adiungimus. Fugientes enim auaritiã, nõ fugimus voluptatem: non recondentes aurum, res viles coaceruamus: magistratum, atque imperium repudiamus, gloriam tamen, & honorem eorum, quouis modo veneramus. Relinquimus possessiones, harum tamen fructuonem non auersamur. Hic verò de his loquens religiosus, qui monasteria fundare, & in Abbates præfici cupiunt, hæc inquit. Qui si in veritate viam perfectionis inquirerent, hoc potius tota virtute perficere niterentur, vt scilicet exuti non solum pecuniis, sed etiam affectionibus pristinis, & distentionibus vniuersis, semetipsos singulares, ac nudos, ita sub seniorum imperio collocarent, vt curam non modò aliorum nullam, sed nec sui quidem gererent. E contrario autem euenit, vt dum fratribus præse festinant, nunquam senioribus ipsi subiiciantur, & à superbia inchoantes, dum alios instituere cupiunt, nec discere ipsi, nec agere ea, quæ sunt docenda, mereantur. Hæc ille.] Et quidem hæc vera sunt. Nam si temporalia solo opere, non vero affectu relinquamus, non tam virtutem paupertatis assequimur, quam miseram mundanorum quorundam mendicantem incurrimus. Sicut enim istorum miseria est, quòd diuitias non habent, quas corde desiderant, ita & nostra miseria, & stultitia erit, si quæ opere deseruimus, corde & affectu cupiamus. Similique quasi duas personas induimus virorum & infantium: viri sumus, qui virili mente concepta res terrenas abiciimus; pueri autem, qui huius mundi vilitatibus, & puerilitatibus adhaerescimus. Nec aduertimus quia terrena relinquere, medium est, vt ad cor mundum veniamus, si autem affectu rebus terrenis adhaeremus, accepta insipida medicina, ex culpa nostra minimè optatam sanitatem assequimur. Bene proinde Henricus Harpius, omnia sola actione relinquere, imperfectissimam paupertatem vocat, & homines sic rebus renuntiantes terrenis, pauperes esse coram hominibus, non coram Deo, merito autumat, quoniam testam dumtaxat paupertatis habent, nucleum verò, scilicet affectum à terrenis auulsum, qui in virtute, & in voto paupertatis præcipuus est, habere contemnant.

Hæc autem, quæ quisque habet, si velit religiosam paupertatem sectari, non debet temerariè effundere, aut perdere, sed prudenter distribuere. Quod Theophylactus à Domino putat fuisse mandatum, dum ita legit: Vende quæ habes, & distribue pauperibus.] Habuit, inquit, & distribuendi verbum emphasim quandam, vt cum diiudicatione, & non fortuito dispargantur bona.] Et id profectò ita intelligendum est. Nam Dominus, qui amator est ordinis, & sapientie initium, ac origo beneficentiæ, non vult, diuitias homini dadas, inordinatè aut temerariè, aut inuulter effundi, sed cum merito dantis, & cum vtilitate accipientis distribui.

A Sed ista sapiens & vtilis bonorum distributio id omnino postulat, vt bona, quæ relinquimus, pauperibus erogemus. Quod manifestè Dominus ipse, qui ad paupertatem incitauit, iubere non omittit. Vende, inquit, quæ habes, & da pauperibus.] Atque alio loco: Vendite quæ possideris, & date elemosynam.] Eleemosyna autem non diuitibus, sed indigentibus, & pauperibus debet offerri. In hanc autem sententiam, tanquam pronuntiatam à Domino, Patres sine vlla hæsitacione conspirant. Hieronymus quodam loco ait: Non diuitibus, non propinquis, non ad luxuriam, sed ad necessitatem, siue ille Sacerdos sit, siue cognatus & affinis, nihil in illo aliud consideres, quàm paupertatem. Laudent te esurientium viscera, nõ ructantium opulenta conuiuia. Et rursus alio loco: Non dixit, da filiis, da fratribus, da propinquis: quos etiam si haberes, iure iis Dominus præferretur: sed da pauperibus, immo da Christo, qui in pauperibus pascitur: qui cum diues esset, pro nobis pauper factus est. Et iterù alio: Cumque vendideris, da pauperibus, non locupletibus, non superbis, da, quo necessitas sustentetur, non augeantur opes. Pars sacrilegij est, rem pauperum dare non pauperibus. Et Basilius: Equidem ex hoc colligo, qui hac mète à suis discedat, hunc huiuscemodi curam de parte patrimonij sui, nullo modo oportere negligere, contraque illud accurare, vt cum eam omnem diligentissimè secum abstulerit, eam veluti rem iam Domino consecratam summa cum religione distribuatur, vel ipse perse si huiuscemodi muneri scienter administrando esse ipse par possit vel per alios, quos antè maxima adhibita diligentia delegerit, qui que certissima dederint documenta, posse se illam fideliter ac prudenter distribuere, cum illud persuasum sit, non vacare periculo, siue propinquis suis illam relinquat, siue in ea distribuenda, cuiusuis, nulla adhibita delectacione, opera vsus sit. At demum Bernardus: Nihil sibi retineat, nihil suis, ne modicum fermentum totam massam corrumpat. Sunt enim, qui sibi retinent aliquid, Dominicæ vocis obliuiscunt, qui non suam venit facere voluntatem: & in ipsis quoque sanctorum collegiis proprio, aut desiderio, aut fortasse consilio importuniùs adherentes, sciolos sese faciunt, de se sibi aliquid retinentes: quos penitus abnegasse, & diuinæ prouidentie, ac obedientie patrum consiliis quoque spiritualium virorum debuerant commisisse. Sunt enim, qui propinquis retinent, & amicis, quod abiciunt à seipis, pro eorum prosperitate præsentis, inani proflus & sæculari solitudine astuantes. Crudeles planè, qui nequaquam proximos diligant tanquam se; crudeles, inquam, vel in se, vel in suos: imò, quod verius est, in vtroque. Hæc omnia Patres, & multa alia, quæ consulo omittuntur. Iniungitur itaq; paupertatem sectaturis, vt sua distribuatur pauperibus, vt scilicet diuitias, quas dimittunt, bene collocet, & vtiliter expendant, dum eas non luxui superbiorum diuitum, sed necessitati indigentium seruire faciunt. Ac iuxta præceptum Domini, faciunt sibi [amicos de mamonâ iniquitatis, qui recipiant ipsos in æterna tabernacula.] Duplicique ratione (vt alias nunc omitamus) regnum cælorum mereantur. Primo, quia sua reliquerunt: & secundo, quia pauperes refecerunt, & amicos, qui eos patriam cælestem ingredienti recipere, compararunt.

B

C

D

E

At fortassis aliquis quærat, an aliquando liceat fugientibus sæculum, sua bona parentibus, aut fratribus, aut propinquis, aut amicis erogare? Namque si Dominus hæc temporalia pauperibus distribuenda præcipit, videtur mandati violator, qui ea aliis quàm pauperibus dare presumpserit. At nos dicimus,

Matt. 19. 21. Marc. 10. 21. Luca 12. 33. Hier. ad Demetriad.

q. 1. ad Hebræos.

In consolat. ad Pammach.

Basili. rog. 9. fuis dist.

Bern. in illud, Ecce nos reliquimus, &c.

Luca 16. 9.

Marcellus Eremi. in consolat. cum sua anima.

Cassian. col. 4. c. 20.

Harpi. in director. mortificat. 1.

Theoph. ad c. 18. Luca. Matt. 19. 21.



quod si propinqui, aut amici, sunt pauperes, & rebus nostris ad vitam iuxta decentiam sui status trahendam indigeant, laudabile est illis, non tanquam propinquis solum, sed tanquam propinquis, aut amicis pauperibus nostra relinquere. Id enim, & charitas, & prudentia, & aliorum edificatio omnino exigit. Charitas quidem, cuius ordo in actibus amoris, & beneficentiae propinquo extraneis preponit. Si autem illi sint pauperes, licet non ex aequo, non propter coniunctionem sanguinis, aut veterem amicitiam, efficiuntur elemosinae nostrae subsidii indigni, modo potius ex eo ipso sunt, & ab omnibus iudicantur magis digni. Prudentia vero quia propinquis pauperibus nostra erogantes, discretum satis medium ponimus, ut ab eis in statu religioso quieti relinquamus. Nam quid aliud debuimus facere, nisi nostra illis concedere, ut de cetero sibi persuadeant a nobis iam mundo mortuis, & quasi ex testamento bona nostra illis legantibus, nihil aliud subsidii temporalis in generaret, & crudelitati tribueretur, extraneorum tantum misereri, & propinquorum pauperum nullatenus recordari. Nec ad hanc rem confirmandam desunt sanctissimorum virorum exempla. Nam & magnus Antonius saeculum fugiens (narrate Athanasio) partem suorum bonorum sorori concessit. Et Fulgentius Ruspensis Episcopus, ac ipse sanctissimus, & Doctor egregius, a mundo discedens portionem substantiae contulit matri.

Et Ambrosius sapienter ait. Est etiam illa probanda liberalitas, ut proximos seminis tui non despicias, si egere cognoscas. Melius est enim, ut ipse subuenias tuis, quibus pudor est ab aliis sumptum deprecere, aut alicui postulare subsidium necessitati, non tamen ut illi ditiores eo fieri velint, quod tu potes conferre inopibus. Causa enim praestat non gratia. Neque enim propterea te Domino dicasti, ut tuos diuites facias, sed ut vitam tibi perpetuam fructu boni operis acquiras, & pretio miserationis peccata redimas tua. Putat se parum poscere: Pretium tuum quaerunt, vitae fructum adimere contendant. Et accusat quod eum diuitie non feceris, cum te ille velit aeternae vitae fraudare mercede. Concinit quoque Simo de Cassia, qui sic ait: Attamen in renunciatione eorum, forma distribuendi adiecta est, ut non parentibus, cognationibus, & amicis, sed pauperibus largiantur. Sed nec et ipsi propinqui excluduntur, si eos paupertas includit, ut dicitur charitas Dei, & proximi paupertas in largitione sint causa. Et Philo Iudaeorum discretissimus illos Marci discipulos Alexandriae ex Iudaismo conuersos laudibus effert, quod a mundo secedentes sua bona cognatis donauerint. Haec, inquit, vitae instituto qui se addicunt, non ex more, aut rogati id faciunt, sed amore correpti rerum caelestium, & quasi furore diuino perciti, donec ad contemplationem illam desideratissimam perueniant. Deinde praeter immortalis vitae beatam cupidinem, quasi iam hac mortali defuncti, facultates suas relinquunt liberis, aut cognatis, vltro eis possessione cedendo, atque etiam sociis, & amicis, si cognati desint. Oportet enim, ut qui perspicaces diuitias adeptus est, caecus illas relinquat metibus caecitientibus. Anaxagoram & Democritum celebrat Graeci, quod praeter amore Philosophiae praedia sua pecori compascua reliquerint. Probo hos viros contemptores pecuniae. At quanto praestantiores, qui non pecoribus suas possessiones depascendas permiserunt, sed impederunt ad subleuandam egestatem cognatorum, amicorumque, ut egere desinerent. Illud enim inconsideratum, ne dicam insanum, factum fuit virorum Graecis laudatorum sapientiae nomine: hoc vero sobrium, & magne prudentiae. Quid aliud hostis face-

ret excisis arbutis, agrisque vastato, rediges aduersarios ad inopiam, quam quod suis cognatis fecit Democritus, vltro illis concessit pauperie, non tam malo animo, quam per inconsiderantiam, & alienam utilitatis negligentiam? Hi certe multo prudentiores, & magis suspiciendi, ut non minus philosophiae cupidi, sed prouidi magis, quam negligentes: quippe, qui sua donare maluerunt, quam perdere, quo & sibi prodesse, & aliis, dum alios opibus iuuat, se philosophiae studio. Sic ille. Sed in hac re, qui errare nolit, nec immoderato affectu erga propinquos duci, deberet viros sapientes spiritualibus, consulere, ut ex eorum sententia (qui res liberis & prudentius aspicunt) bona sua taliter in propinquos distribuatur, ut non luxui aut effrenato desiderio eorum, sed indigentiae prospiciat, & ex reliquis bonis pauperibus ex charitate subueniat.

Ea etiam dubitatio alicui etiam negotium faceret, an deceat, bona, quae quisque habet in saeculo, religioni, aut cenobio tribuere, in quo habitum religiosum induit. Videtur enim is non tam bona temporalia deferere, quam secum in vitam religiosam adducere. Sed si ista aequa lance libremus, laudabilissimum esse videbimus, in usus religionis bona eius, qui religionem ingreditur, erogare. Quoniam & religiosi pauperes sunt, & non quicumque pauperes, sed iusti, & Deo consecrati, & perfectionis statum tenentes, & saluti animarum, aut oratione, aut ministeriis quoque Ecclesiasticis vacantes. Grauisimum ergo erit Deo hos suos pauperes alere, & indigentiae eorum subuenire. In quo certe saeculares non parum errant, putantes male, aut imprudenter in sum, quicquid religiosi impeditur, & non ad ipsorum sumptus, sed vanos & profanos, erogatur. Clamat illi cum imperfectis discipulis: Ut quid perditio haec? poterat enim vnguentum istud venundari, & dari egenis. Nec animaduertit quod egenis religiosis datur, qui ratione status perfectionis, pauperibus saecularibus praestat, & Christo ipsi, atque ad eius cultum offertur. Neque istud est diuitias in religionem aduhere; quia donator earum, eas a se abdicat, & neque quoad dominium, neque quoad usum in suam utilitatem assumit, sed ex bonis cenobii, sicut & reliqui, necessaria humiliter recipit. Sed licet hoc ita sit, quod religiosus cenobium ingrediens, laudabiliter bona sua religioni concedit, aut ea relinquendo voluntati prelati (quod perfectius est) ut ipse, cui omnium domorum indigentia perspecta est, indigentiori applicet, vel (quod est imperfectius) ea bona ad huius vel illius domus usum applicando: tamen religio laudabilissimè & prudentissimè faceret, si nihil omnino ab ingrediensibus religiosis acciperet, sed omnia in pia opera, atque in pauperes alios ingrediens erogaret. Cuius rei causas, quas aliquando nos experti sumus, grauisimis verbis in hunc ferè modum Cassianus exponit. Et dicitur ne vobis quidem cenobii profuturas suscipere ab eo pecunias acquiescat. Primum ne confidentia huius oblationis instans, nequaquam se pauperibus fratribus aequare dignetur: tum ne per hanc elationem nullatenus ad humilitatem Christi descendens, cum in disciplina non possit cenobii perdurare; egressusque, exinde, ea, quae in principio renunciationis suae spirituali feruore succensus intulerat, tepescens postea non sine iniuria monasterii sacrilego spiritali recipere, atque exigere molietur. Quod omnimodis obseruari debere, multis sunt experimentis frequenter edocti. Nam per alia minus cauta monasteria simpliciter quidem suscepti, de eis, quae intulerant, quaeque in Dei opera fuerant dispensata, cum ingenti post blasphemiae retributionem poscere tentauerunt. Haec ergo mouere debent, ut religio prudenter

Athanasius in vita. Scriptor in Iannuario.

Ambrosius. Officiarius. c. 30.

Simon de Cassia. l. 9. c. 46.

Philo lib. de vita contemplat.

Marci. 14.

Cassianus. 4. de institutis. c. 4.

liber

guber

gubernata, & humilitatis ac profectus suorum religiosorum amore tacta, si possit, & non multum indigeat, nihil velit à suis filiis, dum à mundo discedunt, accipere. Atque his exposuit manet primus hic gradus paupertatis, quem ille feliciter tenet, qui vniuersa quæ habet, opere & affectu deserit, & secundùm decretũ Domini ea pauperibus, his, aut illis, prout dictũ est, magna mentis alacritate distribuit.

Secundus gradus Paupertatis votum de rerũ abrenunciacione emissum implere.

CAPVT V.

ROST abiectionem omnium rerum temporalium voto firmatam, qua quis religiosus pauper factus est, & ad primum gradum Paupertatis progressus, illa ipsius mentem cura sollicitè, vt quod Deo pollicitus est, integre ac fideliter impleat. Ad quod vocat eum Salomonis gratis ac vera sententia; qua ait: Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis & stulta promissio. Sed quodcumque uoueris reddere: multo que melius non uouere, quàm post votũ promissa nõ reddere.]
 Votum, inquit, Deo nuncupatum placita illi res est, adeo vt non tantũ promissione de re bona ac iusta sibi facta gaudeat, verũ & rem illam voto consecratam, sine vlla mora ac celeriter exigat. Si non reddas, iã promissio dese quidem recta, atq; discreta, infidelis & stulta facta est, & ideo maximè displicet ei, qui fidelis est in promissis suis, & sanctus in omnibus operibus suis. Meliusque esset, ac iustius, nihil voto promittere, quàm, quæ semel Deo consecrasti, illi postmodum denegare. Liberum ergo fuit nobis bona temporalia relinquere, & paupertatis voto constringi. At postquam votum emissum, non est liberum sed necessarium à possessione rerum temporalium abstinere. Hic est igitur secundus nostræ paupertatis gradus, vt si iam votum paupertatis fecimus, si saluari volumus, & eternam damnationem euadere, votũ factum impleamus. Certum est namque voti in te graui fractorem, nisi ad mentẽ redeat, & de voto violato doleat, & in posterum illud obseruet, sine remedio damnari. Is non tantũ peccator, verũ & præuicator est, cui nihil proderit honesta vita, nisi ei voti facti obseruantiam adiungat. Meritoque Bernardus ad quendam voti transgressorem ait: Tu verò quantumlibet modeste & honestè viuas, si caste, si sobriè, si omnino religiosè te habeas, Deo tamen minus accepta est tua religio, quam deturpat voti præuicatio.] Nunc itaque exponamus, quid sit ista voti paupertatis impletio. Dicemus autem, quid ipsa per se deposcat, & quid minima hæc nostra societas adhuc inuolabiliter seruet, quæ hoc votum, sicut & alia duo, per gratiam Dei sine vlla laxitatis admissione custodit. Nec curabimus ad specialia descendere, quæ fortè in aliis religiosiis familiis quoad paupertatis interpretacionem, aut admittantur, aut permittantur. Quoniam si illa turd, & sine vllò, vel sine graui peccato sunt, certum est ex prælatorũ facultate, saltem interpretatiua (vt vocant) fieri, aut ex consuetudine talis; quæ iam strictæ paupertati derogauit, attentari. Nos autem, qui non euentus speciales, quæ conscientiam attingant, tractamus, sed perfectionem virtutum tradendam suscipimus, quid religiosa paupertas voto firmata per se, sine vllis dispensationibus, aut relaxationibus postulet, volumus explicare.

Qui ergo statum religiosum professus est, seu tria voca substantialia huius præstantissimæ vocatio-

Anis amplexus, quorum vno vniuersis rebus renunciauit terrenis, nihil omnino potest tanquam proprium possidere. Tunc autem aliquid tanquam proprium possidet, quando dominium rei alicuius retinet, aut clam illam habet infcio prælato, paratus de illa vel per donationem, vel per venditionem, vel alio quouis modo pro suo arbitratu, sine vlla dependentia à voluntate prælati, disponere. Qui hac ratione aliquid alicuius momenti sibi reseruat, manifestum crimen in paupertatem admittit, & est in statu damnationis. Nam primam fidem, qua omnia Deo consecrauit, irritam facit: & cum Deo totum, quod habeat, debeat, non totum, sed partem tantum soluit. Et sicut ille, qui debuisset regi decem millia talenta, reus esset mortis, si potens omnia reddere, vnum tantum persoluisset, reliqua verò denegasset: ita omnino religiosus aliquid contra voluntatem prælati sibi reseruans, dignus est æterna morte, quoniam omnia illa, quæ reliquit, quasi vnus talenti rationem habent; illud verò, quod retinet, in quo possidendi propositum & voluntatem inuoluit, quasi non gēta nonaginta nouem talenta sunt, quæ Deo inuerecundè surripuit. Licet enim illud, quod retinet, multo minus sit eo, quod reliquit, tamen quia propositum nihil possidēdi non obraluit, quod in immensum omnibus rebus pretiosius est, ideo tantillum dicitur persoluisset, & maximam partem debiti denegasse. Hoc autem fuit peccatum Anania, & Saphira, quod temporali & æterna morte punitum est. Licet enim nos supra ex Cassiano, & aliis dixerimus fortasse coniuges istos tantum venialiter peccasse, nec in æternum fuisse damnatos, quoniam non ex voto, sed libere suis facultatibus renuntiabant, quod & Origenes, & Augustinus indicare videntur; Tamen probabilius est eos fecisse votum paupertatis, ac ob fractionem eius, qua aliqua sibi reseruauerunt, in mortē corporis incurrisse, & gehennæ cruciatus comparasse. Idque significant illa verba: Anania, cur tentauit Satanas cor tuũ mentiri te spiritui sancto?] Et postea: Non es mentitus hominibus, sed Deo.] Et insuper: Quid vtrique conuenit vobis tentare spiritum Domini? Nam & mentiri Deo, & Spiritui Sancto, & promissis Deo factis non stare: & tentare spiritum Domini, est, aduersus Spiritum sanctum, quasi non esset Deus, aut esset rerum, quæ geruntur ignarus, fraudem commisisse: Atque hos infelices votum paupertatis fecisse ante fraudem istam, docuit elegantissimè Greg. Nazianz. (vt alios omittam) qui sic cecinit:

*Quis porro penam Anania Saphiraq; tremendam
 Cum legit, occultos nummos qui morte luēs,
 Non etiam leuiter metuit perfringere vota?*

Similes his sunt omnino, qui post votum paupertatis aliquid sibi, reluctante aut infcio prælato, retinēt, & simili absque dubio pœna afficiēdi sunt. Qui licet in hac vita (Deo cū illis mitius agente) minimè temporali pœna puniatur, tamen in futura vita tantam religionis euertores, & sanctissimi voti violatores, æterna, si nõ se emēdauerint, morte plectētur.

Et quidem hos Basilius non quacumque inferni pœna, sed dānatione Inde proditoris, exterrēt, cuius sanè vestigiis inhaerent. Hæc eius sentētia est. Proinde perspicuum est, qui talis sit, eum de præcedenda, & morte afficienda anima sua, meditari, qui exiguis obolis salutem suã addicere, ac prodere paratus sit, & alter Iudas efficiatur, nepe, qui à furto exordiat, & in prodicionē desinat: quando vtille Dominum, sic iste veritatis verbum prodit. Quando enim in iusturi nostri regula hoc habet, nõ licere nobis neq; ab ea societate, ad quã aggregati sumus, disiungi, neq; ne

Ecl. 5.3.
4

Bernard.
epist. 2. ad
Fulcan.

Añu. 5.
5.
Suprà li.
1. p. 2. c. 8.

Añ. 5.3.
4

Nazian.
præcep. ad
Virg.

Basil.



privatam vllam pecuniā acquirere, neque denique
 clancularium quiduis moliri, aut eiusmodi, quod
 exempli perueritate reliquorū fratrum saluti posset
 obesse, dum aliquis neglecto Dei timore, & legibus
 Spiritus sancti violatis, societatem primū expilare:
 (societatis enim expilatio est, rei cuiuscumque, &
 vnde cumque in privatū vsū leuocatio:) deinde de-
 fectionem etiam, ac separationē cogitauerit, qui de-
 fendi potest, hūc nō verbum veritatis prodidisse, &
 alterū Iudam factum esse? qui quantū in re ipsa sit,
 veritatē prodar? Quo circa omni modo fugiendum
 nobis est, ne priuatim omnino quicquā possideamus,
 præter ea que promiscuē omnibus simul cōparantur.

Patres autem antiquos tam atrociter de hac ad-
 uersus votum pecuniæ reservatione sensisse, non solū
 hæc verba Basilij, verū & pœna acerbissima,
 qua in proprietarios vindicabant, manifestē declar-
 rat. De qua re vnum aut alterum exemplum indica-
 cam. Hieronymus hæc narrat: Quid ante non plures
 annos Nitriæ gestum sit, referemus. Quidam ex
 fratribus parcior magis, quā auarior, & nesciens,
 triginta argenteis Dominum vendidit, centum so-
 lidos, quos lino texendo acquisierat, moriens dere-
 liquit. Initum est inter monachos consilium (nam in
 eodem loco circiter quinque millia diuisis cellulis
 habitabant) quid facto opus esset. Alij pauperibus
 distribuendos esse dicebant, alij dandos Eccle-
 siæ, nonnulli parentibus remittendos. Macarius verò, &
 Pambo, & Ildorus, & ceteri, quos patres vocant,
 sancto in eo loquente spiritu, decreuerunt infodien-
 dos esse cum eodem, dicentes: Pecunia tua tecū sit
 in perditionē. Nec hoc crudeliter quisquā putet fa-
 ctum. Tantis cunctos per totam Egyptum terror
 inuasit, vt vnum solidum dimisisse sit criminis.

Gregorius verò Magnus, totius Ecclesiæ sanctis-
 simus, & sapientissimus pastor, quiddam simile in
 alium hoc vitio sordentem fieri præcepit, ne patres
 illos Nitriæ, nimij rigoris arguamus. Sed præstat il-
 lum loquentem audire. Neque hoc, inquit, silen-
 dum puto, quod actum in meo monasterio ante hoc
 triennium reminiscor. Quidam namque moachus,
 Iustus nomine, medicinali arte fuerat imbutus, qui
 mihi in eodem monasterio constituto sedulē obse-
 qui, atque in assiduis ægritudinibus meis excubare
 consueuerat. Hic itaque languore corporis præuen-
 tus, ad extremum deductus est. Cui in ipsa sui mo-
 lestia frater germanus, nomine Copiosus, seruiēbar,
 qui ipse quoque nunc in hac vrbē per eandem me-
 dicinæ artem temporalis vitæ stipendia sectatur.
 Sed prædictus Iustus eum iam se ad extremum per-
 uenisse cognouisset, eidem Copioso fratri suo, quia
 occultatos tres aureos haberet, innotuit. Quod ni-
 strum fratribus non potuit celari, sed subtiliter in-
 dagantes, atque illius omnia medicamenta perscruta-
 ntes, eisdem tres aureos inuenerunt abscondos in
 medicamine. Quod mox vt mihi nunciatum est, tan-
 tum malum de fratre, qui nobiscum communiter
 vixerat, æquanimitate ferre non valui; quippe quia
 eiusdem mei monasterij semper regula fuerat, vt
 cuncti fratres ita communiter viuerent, quatenus
 eis singulis nulla habere propria liceret. Tunc ni-
 mio more percussus cogitare cœpi, vel quid ad
 purgationem morientis facerem, vel quid ad exem-
 plum viuētibz fratribz prouiderem. Pretioso
 igitur eiusdem monasterij præposito ad me accersito
 dixi: Vide vt nullus ex fratribz se ad eum mori-
 entem iungat, nec sermonem consolationis ex cu-
 iuslibet eorum ore percipiat: sed eum in morte
 constitutus fratres exquisierit, ei suus carnalis fra-
 ter dicat: quia propter aureos, quos occultatos ha-

buit, à cunctis fratribz abominatus sit: vt saltem in
 morte de culpa sua mentem ipsius auaritas trans-
 uerberet, à peccato, quod perpetravit, purget. Cum
 verò mortuus fuerit, corpus illius cum fructum cor-
 poribus nō ponatur, sed quolibet in sterquilinio fos-
 sam facite, & in eā corpus eius proicite: ibiq; super
 eum tres aureos, quos reliquit, iactate, omnes simul
 clamantes: Pecunia tua tecum sit in perditionem,] &
 sic eum terra operite. In quibus vtriq; rebz, vnā
 morienti, alteram verò volui prodesse fratribz vi-
 uentibus: vt & illum amaritudo mortis à culpa so-
 lubilem faceret, & istos auaritiæ tanta damnatio
 terret, atque à culpa prohiberet: quod ita factū est.

Subiungamus & tertium exemplum, quod in ser-
 monibus attribuit Augustino ad fratres in eremo,
 sic habet: Similiter accidit Ianuario nostro, qui col-
 umba obedientiæ, & paupertatis inter nos esse vide-
 batur, cuius perditionē frequenter flere & ululare
 debemus: nā ad nos cum lacrymis venit, & pauper-
 tatē quandiu viueret, seruare promisit, & tamen vi-
 neam & agrum, nobis ignoratibus, in sæculo posside-
 bat. O professio mortifera, ô proditoria promissio,
 ore dicebat, quod corde odiebat. Sanctū crede-
 bamus, qui omnibus peior erat. Et sic annis duode-
 cim & amplius Ianuarius noster, vt vidistis, & audi-
 stis, malè vixit, & malè moritur. Quare, vel quomo-
 do malè vixit, nisi quia, quod suū nō erat, secretè te-
 nuit? Quomodo etiā malè moritur, nisi quia in fine
 se non cognouit, & obstinatus in suo sensu nobis
 ignoratibus testamentū fecit, & filium, quem habe-
 bat, in sæculo ditauit: O vitā saltem in fine hoc no-
 bis dixisset, vt oratibus nobis veniā impetrasset: Sed
 nec confessus fuit, nec eū fecisse pœnituit, propterea
 de meis non est, nec dum viueret, erat. Ligatē igitur
 manus cadaueris eius, ponentes in panno ligatos cen-
 tū & vndecim siclos, quos in pariete cellulæ re-
 tinebat, flentes, & dicentes: Pecunia tua tecū sit in
 perditionem. Nō enim licet nobis seruis Dei eā col-
 locare, vel ponere in victu, vel in vestitu, vel in ope-
 re monasterij, quia pretium damnationis est. In his
 tribus testibus omni exceptione maioribus ster om-
 ne verbum. Et nobis indubitatū esse persuadeamus,
 eum, qui post votum paupertatis, aliquid notabile,
 in scio prælato, retinuerit, saluari non posse, eum vo-
 tum frangat, fratres scandalizet, Deum ad indigna-
 tionem prouocet, & seipsum nexibus rerum tempo-
 raliū illaqueet, quibus eum diabolus non compun-
 ctum, nec emendatum, ad locum æternorum
 tormentorum sacrilegis paratum trahet.

Audi igitur me, ô religiose, ô discipule Christi, vt
 verbis Bern. te alloquar, audi, in quā, consiliū meum.
 Te diabolus querit auellere, te extrahere de gre-
 ge Domini, vide ne consentias ei. Vide ne credas ei.
 [Médax est, & pater eius.] Te vult occidere. Te vult
 maclare. Te vult perdere secū in gehennam. Caue te
 à loculis. Caue te à marsupijs. Foueæ diaboli sunt.
 Heu quot in illis perdidit, quot in illis interfecit?]

Et quis alius violator est voti? Ille quidem, qui
 ex cœnobio, aut ex cella alterius fratris, absque fa-
 cultate prælati, aut fratris illius, aliquid aufert, vt in
 suos vel alterius cuiusquam vsus infumat. Et si il-
 lud, quod abstulit, minutum quid, & parui momen-
 ti fuerit, leuiter peccabit; si verò fuerit notabile, &
 magni momenti, arbitrio prudentis grauius delin-
 quet. Nam res monasterij siue in communes vsus
 appositæ, siue ad vsus alicuius ex fratribz des-
 tinatæ, alienæ sunt, quarum nullus particularis
 religiosus dominium habet. Eas ergo siue fac-
 cultate surripere, furtum est, & contractio rei
 alienæ. Furtum autem (nullo ex Catholicis re-
 clante)

Hieron.
 epist. 22.
 ad Eustochi.

Aug. 8.
 20.

Greg. 4.
 dialog. c.
 55.

Aug. 8.
 20.

Aug. ser.
 5. ad frat.
 in erem.
 10. 10.

Aug. 8.
 20.

101. 3. 44

101. 3. 44

Et ante ex genere suo graue peccatum est. Atque ad eò debet omnino, qui rem abstulit, perinde atque alij fures, rem illam restituere, & in loco, ex quo rapuerat, collocare. Basilius sanè hanc rerum monasterij vsurpationem (vt supra vidimus) furtum vocat. Hugo autem Victorinus cum furtum vocasset, mitius se locutum fuisse ait. Hæc eius sunt verba. Parum dixi: immo certè sacrilegium, quod peius est, quasi Iudæ similis factus proditori: prodit enim conuentu totum, cum rem eius communè, & Ecclesiæ de sinu charitatis subtrahit in proprium vsum. At Bonauentura: Genus est furti, & plerumque turbationis occasio, eo fratri vsui deditam, eo, si adfit, inscio, detinere. Religiōsus itaque cœnobii, in quo moratur, non domum propriam, cuius ipse sit dominus, sed alienam æstimet. Se in ea veluti mendicum quendam hospitio exceptum esse sciat. Quod sibi datum fuerit ad vsum, humiliter, & cum gratiarum actione, accipiat. Nihil tamen sine bona venia prælati, aut illius, qui facultatem possit dare, vsurpare præsumat. Nam sicut & ipsum votum paupertatis, vetat aliquid proprium possidere, ita & lex iustitiæ, iubet omnino nihil ex rebus monasterij præripere.

Similiter voti fractor est, qui ex rebus sibi ad vsum concessis, aliquam cupiam vendit, aut donatione tradit, ita vt domum religiosam illius rei dominio abdicare intendat. Res enim religioso quasi commodatæ, & ad solum vsum conceduntur. Vnde sicut si ille, cui res aliqua commodata est, alteri venderet, aut donaret, manifestè furtum admitteret, & iniuriosus esset in illum, qui rem sibi commodauit, ita & religiosus rem sibi ad vsum tantum datam vendens, aut donans, furti reus iudicabitur. Is profectò (vt omnes Theologi aiunt) comparatur ad religionem, quam professus est, sicut seruus ad dominum suum. Quis autem non videat, seruum furti reum esse, qui vestem, aut aliud quippiam ab hero sibi ad vsum datum, vendiderit alteri, vel donauerit? Vnde sanctus Bonauentura ait: Porro cum illud proprium esse dicatur, de quo dispensare licet iuxta propriam voluntatem, omni assensu alio circumscripro, non pauper, sed dominus reputandus videtur, qui rem quamcumque aliis distribuendo, vt libet, sine superiorum autoritate dispensat. Res sunt quidem communes, sed vsus dispositio pertinet ad prælatos, vt per eorum curam singulis, iuxta modum, & regulam sibi à sanctis Apotolis constitutam, prout vnicuique opus fuerit, diuidantur. Vsurpatus autem sine licetia rerum vsus, culpabiliter, temerèq; præsumitur, & profus illicite venditur. Ex suo igitur genere ista donatio rerum nobis ad vsum concessarum danabilis est, non minus quam illa prior rerum monasterij, aut cœnobij (de qua diximus) vsurpatione. Quiq; aut res cõmunes vsurpare, aut suo vsui applicatas dare præsumperit, similis est Racheli surripienti idola Laban patris sui, Nam cum Laban, tropologicè, mundum istum iustos insequente significet, illa anima per statum religiosum Christo desponsata, idola Laban furatur, quæ res huius mundi vsque ad veritatem vsurpationem amore complectitur. Similis etiam est vxori Loth, quæ egressa de Sodomis, respiciens post se, conuersa est in statum salis. Sic religiosus post se respicit, qui res mundi, quas deseruit, concupiscit, & repetit. Statuque salis efficitur, quia velut statua inanimis, & velut res sterilis, peccatoribus Deo mortuis, & gratia carentibus, comparatur. Denique similis est Achan, qui tulit aliquid de anathemate, cuius causa iratus est Dominus in filios Israël, eosque ab hostibus vinci, & trucidari permisit. Bona quippe temporalia Deo à nobis consecrata sunt, & ob eius

A honorem relicta: qui autem aliquid eorum repetit, quia rem sacram surripit, Deum grauter offendit.

Deinde votum paupertatis violat, qui accipit aliquid à consanguineis, vel ab aliis, contradicente prælato, aut nesciente, si credat eum, si scierit, ægrè laturum, & in talem acceptionem minimè consenturum. Ideo Augustinus & Benedictus, in suis regulis, donationem, & acceptionem alicuius rei simili omnino distinctione vetuerunt. Ille sic ait: Consequens ergo est, vt etiam cum quis suis filiis, aut aliqua necessitate ad se pertinentibus in monasterio constitutis aliquam contulerit vestem, siue quodlibet aliud inter necessaria deputandum, non occultè accipiatur: sed sit in potestate præpositi, vt in rem communem redactum, cui necesse fuerit, præbeatur. Quòd si aliquis rem sibi collatam celauerit, furti iudicio condemnatur. Hic verò sic: Præcipuè hoc vitium radicatus amputandum est de monasterio, ne quis præsumat aliquid dare, aut accipere sine iussione Abbatis, neque aliquid habere proprium, nullam omnino rem, neque codicem, neque tabulas, neque graphium, sed nihil omnino. Quippe quibus nec corpora sua, nec voluntatem licet habere in propria potestate: omnia verò necessaria à patre monasterij sperare, nec quicquam liceat habere, quod Abbas non dederit, aut permiserit, omniaque sint omnibus communia, vt scriptum est, nec quisquam suum aliquid esse dicat, vel præsumat. Hæc ille.] Meritò autem acceptor cuiusque rei, inscio prælato, proprietariis, & voti fractoribus annumeratur, quoniam rem illam ex ipso modo accipiendi clanculariò, non monasterio (vt debuit) sed sibi ipsi videtur accipere, vt scilicet ipsa non pro arbitrio prælati, sed pro suo libito vtatur, eamve, vt voluerit, infumat, siue dispenfer. Rem autem sic accipere, dominium rei quemlibet habere velle euidenter monstrat, ac manifestè paupertati repugnat. In quam sententiam etiam Bonauentura ait: Quicumque rem aliquam occultè, sine superiorum assensu, recipit, habet, vel vitur, à religionis delirat licentia, & quicquid habet, malè habet.] Nemo ergo ex religiosis securus viuat, quia nihil à congregatione accipit, quoniam si à consanguineis, aut aliis accipiat, prælato facultatem denegante, aut minimè consentiente, apertè fractor est voti, grautèrque delinquit, & propter hoc peccatum, nisi resipiscat, in perpetuum damnabitur.

B Quòd si damnationi obnoxium est, religiosum, contradicente, aut non consentiente prælato, aliquid notabile in proprios vsus recipere; quanto damnabilius erit petere, & recipere, & abscondere, vt possit suis fratribus, aut consanguineis erogare? Is non tantum vitio proprietatis sordet, sed & congregationem bonorum illorum vsu defraudat. Non est pauper Christi, sed diues sæculi, qui necessitatis rebus, sibi à prælato ministratis, minimè contentus, tot ac tanta vult possidere, vt ex sua abundantia consanguineos possit ditare. Licitum quidem erat illi (quemadmodum diximus) ea, quæ habebat in sæculo, consanguineis pauperibus relinquere, vt molestis eorum solueretur; at iniquum est, post arreptam religionis statum, sæcularibus se implicare negotiis, & pecunias quarere (quas forsitan in sæculo nunquam habuisset) vt ex illis possit sæculo deseruire, cui mortuus est, & sæcularibus prouidere. Si hoc vitio sanè pessimo, o religioso, tentaris, audi quibus verbis Isaac presbyter Antiochenus te tuæ uocationis, & professionis admonet. Si posueris animam tuam terminum paupertatis, & per gratiam Dei

C propriariis, & voti fractoribus annumeratur, quoniam rem illam ex ipso modo accipiendi clanculariò, non monasterio (vt debuit) sed sibi ipsi videtur accipere, vt scilicet ipsa non pro arbitrio prælati, sed pro suo libito vtatur, eamve, vt voluerit, infumat, siue dispenfer. Rem autem sic accipere, dominium rei quemlibet habere velle euidenter monstrat, ac manifestè paupertati repugnat. In quam sententiam etiam Bonauentura ait: Quicumque rem aliquam occultè, sine superiorum assensu, recipit, habet, vel vitur, à religionis delirat licentia, & quicquid habet, malè habet.] Nemo ergo ex religiosis securus viuat, quia nihil à congregatione accipit, quoniam si à consanguineis, aut aliis accipiat, prælato facultatem denegante, aut minimè consentiente, apertè fractor est voti, grautèrque delinquit, & propter hoc peccatum, nisi resipiscat, in perpetuum damnabitur.

D Quòd si damnationi obnoxium est, religiosum, contradicente, aut non consentiente prælato, aliquid notabile in proprios vsus recipere; quanto damnabilius erit petere, & recipere, & abscondere, vt possit suis fratribus, aut consanguineis erogare? Is non tantum vitio proprietatis sordet, sed & congregationem bonorum illorum vsu defraudat. Non est pauper Christi, sed diues sæculi, qui necessitatis rebus, sibi à prælato ministratis, minimè contentus, tot ac tanta vult possidere, vt ex sua abundantia consanguineos possit ditare. Licitum quidem erat illi (quemadmodum diximus) ea, quæ habebat in sæculo, consanguineis pauperibus relinquere, vt molestis eorum solueretur; at iniquum est, post arreptam religionis statum, sæcularibus se implicare negotiis, & pecunias quarere (quas forsitan in sæculo nunquam habuisset) vt ex illis possit sæculo deseruire, cui mortuus est, & sæcularibus prouidere. Si hoc vitio sanè pessimo, o religioso, tentaris, audi quibus verbis Isaac presbyter Antiochenus te tuæ uocationis, & professionis admonet. Si posueris animam tuam terminum paupertatis, & per gratiam Dei

Aug. in reg. c. 8.

Bona. in reg. c. 33.

Bona. in part. 1. c. 4.

Isaac lib. 1. de cons. sep. m. d. c. 9.

Hugo.

Bona. in specul. p. 1. c. 4.

Bona. ubi sup.

Gen. 31. 19.

Gen. 19. 26.

Isa. 7. 21.

fuertis à sollicitudinibus liberatus, & in tua paupertate factus fueris supra mundum, caue ne propter amore pauperum, quæstum diligas pro elemosyna faciendâ, & ponas animam tuam in turbatione, vt accipias ab alio, vt aliis largiaris, & existimes honorem tuum subiectione petitionis rerum nomine aliorum, & excidas à libertate, & nobilitate intentionis tuæ in sollicitudinem secularium rerum, quia gradus tuus nobilior est gradu misericordiarum: supplico tibi ne subiiciaris elemosynæ, quæ similis est nutrimento puerorum, sed sollicitudo perfectionis caput est, si res habes, simul illas disperse. Quod si non habes, noli habere. Hæc ille.] Cassianus verò de similibus religionis ait, eos habitum quidem mutasse, sed nullo modo seculares mores exuisse. Eius verba sunt. Denique, quod pudet dicere, ita plerisque abrenūciasse conspicimus, vt nihil amplius immutasse de anterioribus vitiis ac moribus comprobentur, nisi ordinem tantummodo, atque habitum secularem. Nam & acquirere pecunias gestiunt, quas nec antea possederunt, vel certè, quas habuerunt, retinere non desinunt, aut (quod est lugubrius) etiam amplificare desiderant, sub hoc pretextu, quod vel famulos suos semper exinde, vel fratres alere se debere iustum esse contendunt. Nam ergo manifestum est, viro religioso, qui saluari vellent, nullo pacto licere, absque consensu prælati, nec sibi, nec aliis quicquam accipere, eumque proprietarium esse, si pro alendis etiam parentibus pecunias conquirat, atque possideat. Cui veritati nullo modo diuina de honorandis parentibus obstitit autoritas. Quia si illi non indigent, peruersum, & stultum est, quod religiosus velit illos amplius ditare. Si communiter indigent, non deerunt multi in republica, qui ex communibus elemosynis illis prouideant: si verò extremè aut grauiter egeant, tunc religiosus ex consensu & bona venia prælati, quam negare non poterit, illis seruata adificatione, necessaria, cum bona conscientia, & sine vitio proprietatis, ministrabit.

Cassian.
collat. 4.
c. 20.

c. 33.

c. 51.

Cassian.

Ad eum autem Patres antiqui ab hoc pessimo vitio abhorrerunt, vt non solum nihil possiderent, verum & aliquid suum dicere piaculum reputarent. Vnde Benedictus in regula: Nec quisquam suum aliquid esse dicat, vel præsumat. Et Augustinus: Non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia. Et Cassianus: Hanc regulam videbamus distinctissimè hucusque obseruari, vt nec verbo quidem audeat quis dicere aliquid suum. Magnūque sit crimen ex ore monachi processisse, codicem meum, tabulas meas, graphium meum, tunicam meam, caligas meas: proque hoc digna poenitentia satisfactorius, si aliquo casu per surreptionem, vel ignorantiam, huiusmodi verbum de ore eius effugerit. Qui autem aliquid suum vocaret, aut proprium diceret, non peccaret grauiter, si verbo tenus dicat, & animum, rem illam, vt propriam possidendi, non habeat. Vt igitur gradum istum paupertatis, paucis comprehendamus, ille religiosus eius est particeps, qui nihil ex his quæ habebat, in seculo reuerteretur, qui nihil, ex rebus cœnobij surripuerit, qui nihil ex rebus sibi ad vsum concessis, absque consensu prælati alteri dederit, qui nihil, prælato etiam contradicente, aut minime consentiente, pro suis, aut aliorum vltibus acceptauerit. Nam ad hæc omnia vtrumque paupertatis obligat. Multa autem minuta, quæ circa hæc axiomata non semel occurrunt, ex doctoribus scholasticis petenda sunt, quia nobis non vacat ad hæc particularia descendere.

Tertius Gradus Paupertatis Superflua refecare.

CAPVT VI.

IN virtutum gradibus (quod semel in hac tractatione de virtutibus religiosis dictum sit) non reperitur eadem obligationis ratio, quia eorum quidam sub interminatione grauis peccati precipiuntur, quidam leuiore sub leui peccato mandantur, quidam vt oppositi imperfectioni suadentur, & alij denique vt totam perfectionem virtutis continentes, oculis iustorum obiciuntur, vt finem ac scopum videant, in quem debeant properare. Huius rei exemplum ex paupertatis gradibus, quod nunc tractamus, petendum est. Nam res omnes temporales dimittere affectu, & effectu, & Christum in omnimoda virtute sequi, ad idque voto se constringere, liberum est vnicuique, volenti scilicet non in communi vita fidelium se continere, sed ad perfectionem ascendere. Post votum paupertatis emissum, nihil omnino possidere, nihil incipio, aut contradicente prælato dare, nihil recipere, obligatorium factum est, quod ex genere suo in transgrediente mortale peccatum inducit. At reliqui gradus, qui supersunt, & notitiam ac consensum, vel saltem permissionem prælati non excludunt, mitius ac benignius obligant, & si relinquantur, non tam graui vulnere animam viri religiosi cruentant. Hoc autem dictum sit, vt ita ad perfectionem virtutum incitemus, quod simul à conscientis scrupulos eximamus, neque inquietemus illos, qui nolunt, & meritò, vanis exaggerationibus ad virtutem, sed ipsa veritate moueri.

Tertius ergo gradus paupertatis est, si ad vsum nostrum in victu, & vestitu, & reliquis huiusmodi, sola necessaria sumamus, & omnia superflua refecemus. Si autem aliquis religiosus aliquid, vel aliqua superflua prælato sciente, aut non repugnante, aut permittente haberet, paratus ad imperium eius relinquere, is non peccaret lethaliter, licet à leui peccato, maiori, vel minori, pro qualitate rei, quam habet, nequeat excusari. Nam si transgressio obseruariarum religiosarum, extra tria vota, in quibusdam religionibus inducit peccatum leue, & in aliis, quæ solum obligant ad penam, etiam infer peccatum veniale, si negligentiam, nempe non vulgarem, habeat admixtam, vt Thomas ait; quanto magis transgressio paupertatis voto firmata in hoc, quod aliquid superfluum ad vsum assumatur, non poterit sine leui peccato fieri: At quid superfluum dicatur, inuestigandum est. Si enim superfluum dicitur illud, sine quo vivere possumus, iam innumerabilibus scrupulis peccatorum venialium angemur, & vix erit vnus religiosus inter mille, qui saltem venialiter in paupertatem non delinquat, quod certè credendum non est, immo sunt quamplurimi, qui eam perfectissimè obseruent. Non ergo superfluum iudico nisi quod ultra consuetudinem virorum spiritualium, & timorata ac delicata conscientia eam religionem profitentium, quis audeat admittere. Vnde si ultra libros ordinarios, alios pauculos habeas, quibus raro vtaris, si duas imagunculas non pretiosas, nec nimis curiosas, aut duos calamos, aut alia similia retineas, licet vna imago, aut calamus vnus, aut vnus gladius sine theca calamaria sufficeret, non credo quia venialiter delinquas: nam & viri spirituales, & desiderio perfectionis tacti, hæc sine scrupulo, aut timore

D. Thom.
2.2. q.
186. ar.
9. ad 13.

habere

habere consueverunt. At si aliquibus rebus pretiosis, aut curiosis utaris, quas nemo in tuo statu, aut certe soli tepidi, & imperfecti, & discipline ocores, ac libertatis amatores admittunt, licet praelatus assentiat, & licet tu, & illi parati sitis eas res ad ipsius imperium relinquere, ego nec te, nec illos a peccato excuso. Quid enim prodest praelati consensus? quippe qui in hoc, quod religio detrimentum suae puritatis patiatur, consentire non potuit; nam potestatem non in destructionem, sed in aedificationem accepit. Quid etiam refert in religioso preparatio animi, ad relinquenda ea quae inutiliter habet, si ea superflua, ac sine necessitate ac utilitate retinet? Ut ergo in hac re nemo decipiatur, sententiam communem omnium Theologorum, quam doctissimus Cardinalis Ioannes a Turcremata in vnum collegit, non grauaabor scribere. Quasiuit ille an praelatus possit dispensare cum subdito, ut habeat usum alicuius rei ad nutum amouibilibus: Respondet praelatum posse ex iusta causa solum, & statim ait.

Turrecr.
ad reg. c.
33. tract.
94.

Sed quid dicatur causa rationabilis in hoc casu? Respondetur, quod duplex potest esse causa dispensandi in his, videlicet necessitas, & utilitas. Item, necessitas potest esse duplex scilicet priuata, & communis, siue publica. Priuata, ut cum conceditur in monasterio paupere, in quo de communi non possunt haberi necessaria, monacho, vel moniali, ut aliquid habeat ad usum necessitatis suae, cum proposito tamen resignandi, cum fuerit requisitus. Communis, ut cum conceditur alicui officiali communi ad expendendum in usus, & necessitates aliorum, vel cum aliquis dirigitur ad curiam, vel ad alia loca pro negotiis monasterij peragendis, & ei conceditur pecunia pro expendendo, & aliis necessariis: tunc enim pecunia non est propria, sed administrationi annexa, & nomine monasterij retinet, & dispensat: de quo dicitur extra de litu monachorum, capitulo primo. Qui pecuniam habet, nisi ab Abbate fuerit ei pro iniuncta administratione permittum, a communione remoueatur altaris, &c. Utilitas etiam potest esse duplex. Scilicet priuata, & communis. Priuata, ut cum conceditur alicui religioso liber aliquis, aut orationum, aut alicuius facultatis ad studium proprium, gratia scilicet informandi animum in his, quae pertinent ad salutem. Communis, ut cum conceditur alicui liber, aut cum quis mittitur ad scholas, qui ex studio suo creditur aliis posse proficere, & illi, commissa sibi administratione suae personae, Abbas dat pecunias, pro sustentatione sui in scholis, aut prouisione aliarum necessitatum. Sed est bene hic attendendum, ut dicit magister Humbertus, quod licet huiusmodi necessitates sint interdum causa sufficiens ad hoc, quod praelatus concedat usum aliquarum rerum sicut dictum est: tamen non omnis necessitas, aut utilitas sufficiens ad dispensandum, nisi sint valde rationabiles, & manifestae: ut sunt in necessitatibus quotidianis, quae pertinent ad victum, & vestitum, & in utilitatibus, quae pertinent ad animae salutem. Et est cauendum, ne in huiusmodi facile dispensetur propter multa. Tum propter speciem mali: quandoque enim & si subsit aliqua causa in huiusmodi dispensationibus, tamen speciem mali remanet tibi, petens huiusmodi dispensationem. Tum propter sequelam: trahitur enim dispensatio, quae fit cum vno ex causa bona, de facili ad consequentiam in altero, in quo non subsistat eadem causa. Haec ille de causa dispensandi cum subdito, ut ad usum aliquid habeat.

De qualitate vero peccati, tam praelati sine iusta causa aliquid concedentis, quam subditi facultatem petentis, & eo sibi concessio ventis, ita loquitur.

A Tertium dubium est, dato quod dispenseetur cum aliquo circa usum incertum alicuius rei (id est, quae ad nutum praelati potest auferri) sed tamen sine causa rationabili. Vtrum talis excusetur a vitio proprietatis, si habet animum resignandi cum fuerit requisitus: Respondetur, ut respondet magister Humbertus, super regulam Augustini, quod excusatur a vitio proprietatis, sed non tamen a peccato tam dispensans, quam recipiens dispensationem in hoc. Si quaeratur cuiusmodi peccatum sit hoc, ex quo non est proprietatis? Respondetur, quod in dispenseante est abusus potestatis, quae data est ei non in destructionem, sed in aedificationem. 2. ad Corint. 10. Ipse autem abutitur ea in destructionem. In recipiente vero est auaritia, cum teneat aliquid sine rationabili causa: ut puta librum, vestem, vel aliquid huiusmodi, de quo possit alius proficere tanquam pecuniam in sudario, quae dari debuit ad lucrum. Et ideo districta de hoc oportebit eum reddere rationem. Haec est sententia istius doctoris, cui profecto religiosus, qui professus est religionem reformatam, & in primo suo seruire permanentem, relictari non posset. Praelati ergo, qui sine causa (ut dictum est) in hoc, quod subditi superflua multa habeant, dispensare audent, in periculo salutis sunt, nisi tales dispensationes reuocent, & a subditis haec inutilia subtrahant, quibus religio relaxant, & alios scandalizant. Subditi vero securi non sunt, quia superflua possident ei dispensationi subnixi, quae illicite data est. Et grauissimè peccarent, si non tantum superflua haberent, verum, & praelatis volentibus haec reformare, & ad priorem statum reuocare, resisterent. Sed (ut omnia attingamus) in ea religione, quae iam a multis annis a primo seruire deflexit, & in voto paupertatis relaxationem admittit, non est haec res tam scrupulosa, quia ingredientes eam religionem, eam paupertatem vouent, quae in illa tunc temporis seruatur, & non maiorem, aut strictiorem. Verum tamen quod certa quadam ratione scrupulum eximit, ea usum lugendi auget, cum videamus familias religiosas in hac re, sicut in aliis, longe a sua primaeua puritate distare.

Postquam vero tepidos, & propriae salutis incuriosos satis tenuimus, ad perfectionis amatores, quorum gratia haec scribimus, redeamus, & eos ad sinceritatem paupertatis hortemur. Atque illis necessariis contenti, superflua fugiant, & siquidem viti sunt, iocalia puerorum abiciant. Ancilla bello capta, quae in lege veteri a domino suo diligebatur, & in coniugem accipiebatur ab eo, primum radebat caesariem, & circumcidebat ungues, ut non solum pulchra, verum & munda, & sine superfluis in lectu sponsum honorabilis introiret. Sic & anima ad Christi per religiosum statum admittenda coniugium, superflua deponat, ut munda, & expedita ad caelestem sponsum mentis affectibus vadat. Omnibus fidelibus dixit Paulus: Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti sumus, quanto magis iustus, qui saeculo nutium remisit, & paupertatem vouit, debet paucis & necessariis esse contentus? Eius scopus est thesaurizare sibi, thesauros in caelo, ubi neque aerugo, neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, nec furantur, [ut quae] igitur thesaurizat sibi vilitates in terra, quas non solum fures possunt iniuciosè surripere, sed & praelatus iustus & prudenter auferre? Multa, & pretiosa, quae in saeculo habuit, pro perfectionis amore relinquit, cur nunc vilia, & quae tunc quidem nec aspiciere voluisset, tanta auiditate resumat? Et si illa magna, quae multis sufficeret, eum satiate non poterunt, quomodo haec parua & ridicula eum satiare poterunt? Haec superflua, & inutilia rerum congregatio signum est diffidentiae, & non modica Christi iniuria, quasi ipse nobis satis esse non possit. Nam, ut

Deuter.
27. 12.

1. Timot.
6. 8.

Mat. 6.
20.

Bas. cōf.
monast. c.
35.

inquit Basilius, si vbi duo, vel tres congregati sunt in nomine Christi, ibi ipse in medio illorum est; multo certe verisimilius ibi idem esse credendus est, vbi multo copiosior ac frequentior hominum congregata multitudo sit. Aut igitur necessarium nihil nobis deerit, si Christus nobiscū affuerit, si quidem neque Israhēlitis in vasta illa solitudine ipsorum vsui necessarium quicquam defuit; aut si etiam defuerit, ad probationem nostram, satius est inopia laborare, & cum Christo esse, quam disiunctos ab eius societate in rerum vitæ huius omnium affluentia versari. Quod autem hæc nos aliquo modo à Christo disiungant, non dubium est. Cor namque his vilitatibus, & superfluitatibus implicatum quam ratione poterit ad Christum asurgere, & sanctis ei affectibus inhaerere? Quæ etiam fronte audebit tantum regem ad se vocare, si hospitium, in quo ille sanctissimus spes excipiendus est, curis, & amore rerum inutilium est fœditum, & earum possessione pollutum? Ad quid expectabimus, vt prælatus has res auferat, si nos manus habemus, quibus eas animosè reicere valeamus? An non est melius huiusmodi minutias Deo sponte in sacrificium illi gratum offerre, quam ex imperio alterius, quasi inuiti dimittere?

Signum manifestum tepidi erga Deum amoris est, velle in statu paupertatis superflua recondere, & affectu, quem certè dum in his collocamus, à Deo auellimus, inutilibus inhaerere. Vnde Hugo Victorinus ait: Si quis Deum perfectè diligeret, si carnalibus desiderijs omnino renūtiaret, multa refecaret superflua, quæ modò tenet quasi necessaria. Nec Deum, o frater, minus erga te liberalem, aut minus tui amatorem putes, quia vult tibi sola necessaria dari, & omnia superflua aufert: hoc enim potius est sui maximi amoris, ac eximie liberalitatis indicium. Vult ipse te superfluis carere, vt amorem tuum à rebus abiectionis subtrahas, & in ipso tamquam in tuo summo bono constituas. Negat vilia, vt pretiosa donet, & cor vacuum & mundum, vbi ea accipias, in te reperiat. Facit vt hæc terrena nobis laborantibus, & quodammodo eis seruientibus seruiant, vt ea ad necessitatem sumamus, non ad superfluitatem, & ad vanitatem captemus. Dedit ille nobis omnia, vt Paulus ait, sed dedit vt cooperarentur in bonum, non vt à bono se iungerent. Sed adhuc multa, inquit (verba sunt Bernardi) grauiter inquietant, multa euidentiùs aduersantur. Et miror quomodo omnia data memores, quibus ferè nulla famulantur ad votum. Seruite nobis videntur aliqua, sed cum labore nostro, nec nisi priùs seruerimus eis. Iumenta ipsa nisi fuerint à nobis nutrita, nisi domita, nisi fuerint pabulo sustentata, non adiuuant. Terra ipsa, quæ debuerat nobis esse germanior, non sine sudore vultus nostri panem nobis ministrat, immo, & cum coluerimus eam, spinas, & tribulos germinat nobis. Et cætera omnia denique, si diligenter consideremus, seruitium à nobis magis exigunt, quam exhibent nobis: vt ea interim sileam, quæ sunt pœnata nocere, vt est ignis ad exurendum, aqua ad submergendum, feræ ad lacerandum. Et hæc quidem ita se habent, sed tamen non mentitur Apostolus, etiam alio loco manifestius asseueras, scire se quoniam diligenter Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt Sancti. Veruntamen solerter attende, quod non ad libitum famulari, sed cooperari dicit ad bonum. Neque enim ad voluntatem seruiunt, sed ad vtilitatem: non ad voluptatem, sed ad salutem: non ad votum, sed ad comodum nostrum. Sic ille. Cum ergo res ad vtilitatem, & ad necessitatem datæ sunt, terminos nobis impositos supergredimur, si eas ad

Hugo ad
reg. Aug.
c. 8.

Der. ser. i.
de diuerf.

Rom. 8.
28.

A superfluitatè vsq; volumus possidere, & earum affectibus intricari. Satius quidè est, illa terrena dimittere, in eo quod obfunt perfectioni nostræ, vt in eo quod profunt, & nos iuuant, sincerè valeamus assumere. Linque itaq; o frater, idola tua, si cultor es Dei, neq; enim decet, eum, qui in desertum egressus est, vt verum Deum adoraret, secum abominationes Ægypti deferre, & rebus superfluis, quasi idolis oneratum, ante cōspectum Diuinæ maiestatis astare. Numquam quietus eris, nisi hæc vana, quæ (vt tu ipse testis es) te compungunt, & inquietant, animosè relinquant. Crede mihi, sine tot imaginibus, sine tot libris curiosis, sine tot rosariis, sine tot capfulis, & scriniolis, sine tot linteolis, & quadruplicatis vestibus, sine tot esculentis, & poculentis, sine tot denique puerilitatibus, latus viues. Hæc enim quantumque multiplicentur, & augeantur, numquam te satiabunt; si verò verè pauper fueris, vt debes, & voto teneris, Christus te satiabit, & plus vna eius consolatio tibi data, quam hæc vniuersa, valebit.

Quartus gradus Paupertatis, necessariis immoderatè non inherere.

CAPVT VII.

ALIQVOS vidimus in prædicto Paupertatis gradu vsquequaque perfectos, qui nihil omnino superfluum apud se habere voluerunt, & vel calamum vnum, quo carere commodè possent, constantissimè repudiarunt, tanta verò cura, & solitudine rerum necessariarum vrgebantur, vt hunc gradum à præcedenti nos separare compellant. Erant illi quidem admodum scrupulosi, vt nihil, quod sibi non necessarium esse videretur, retinerent, sed nec dum didicerant affectum rerum necessariarum metiri, & spem suam in Domino (qui pascit coruos, quanto magis iustos) fiducialiter collocare. Immoderato amore erga cellam, & fellam, & libros suos, erga breuiarium, & diurnum, & erga alia similia feruntur. Cogitant instanter quomodo hæc seruabunt, quomodo à tinea, vel immunditia, vel ab aliis incommodis defendent, quomodo suo tempore pro melioribus, & politioribus cōmutabunt, & ita his inutilibus curis afficiuntur, vt non minus illi distraherentur necessariis, quam alij superfluis. Quid si aliquis ex fratribus hæc auferat, aut eis detrimenti tantillum inferat, tam amarè cogitationibus, & tanta ira, & indignatione complectitur, ac si à fratre illo pater eorum esset occisus. Puerilitas etiam ridicula eò vsque procedit, vt hæc sibi ad vsum concessa abscondant, ne ab aliquo commodato petantur. Quod si quispiam eos hanc aut illam rem habere deprehendat, & ad modicum vsum postulet, aut verbis ambiguis (ne dicam mendacibus) se protegant, aut quod sibi petitur, si sermone occultare non possint, procaciter se commodaturos negant, aut tanta tristitia & anxietate commodant, ac si vitam sine illa vili minutia conseruare non possent. Breuiter statum paupertatis elegerunt, vt quiescerent, & curis rerum terrenarum soluti Deo, & patriæ salutis vacarent, sed hoc immoderato erga res sibi necessarias affectu ita possessi sunt, vt non minus, quam diuites in suis opibus curandis occupentur. Diuitibus iustum est, nec cor suum nimio amore diuitiarum inficiant. Nam id significant verba sancti Davidis: Diuitiæ si affluent, nolite cor apponere. At isti infalciiores, & stultiores, non diuitiis, sed rebus vilissimis, & nullius valoris, cor suum affigunt, & propter illas, à Deo, & rebus diuinis auocare non metunt.

27. 61. 11.

Hos

Cass. col.
4. c. 21.

Hos homines pulchre taxat Cassianus, eorumque auaritiam, ac prauos affectus sapienter detegit. Nam illud, inquit, ridiculum qualiter exprimetur, quod nonnullos post illum primæ renunciationis ardorem, quo vel res familiares, vel opes plurimas, ac militiam sæculi relinquentes, semetipsos ad monasteria contulerunt, tanto cernimus studio in his, quæ penitus abscidi non possunt, & quæ nequeunt in hoc ordine non haberi, quâuis parua viliâq; sint, esse deuinctos, vt horum cura pristinarû facultatum superet passionem: Quibus profectò non magni proderit, maiores opes ac substantias contempnissè, quia affectus eorum, ob quos illæ contempnæ sunt, in res paruas atque exiguas transferunt. Nam vitium cupiditatis, & auaritiæ, quod erga species pretiosas exercere non possunt, circa viliores materias retinentes, non abscidissè, sed commutassè se probant pristinam passionem. Nam nimia diligentia deuincti erga curam pñathij, sportellæ, sagelli, codicis, mattæ, aliarumque similibus rerum, quamuis vilissimarum, eadem tamen qua antea libidine detinentur. Quæ etiam tanta emulacione custodiunt, atque defendunt, vt pro ipsis aduersus fratrem commoueri, & (quod est turpius) etiam litigare non pudeat. In quibus adhuc ægritudine cupiditatis pristina laborantes, hæc eadem, quæ vsus corporis possidere monachum, vel necessitas cogit, secundum numerum mensuramque communem non sunt habere contenti, in hoc quoque sui cordis auaritiam designantes, cum velea, quibus vti necesse est, propensius student habere, quam ceteri, vel excedentes diligentiam modum peculiariûs ea attentiusque custodiunt, & ab aliorum contredactione defendunt, quæ vniuersis fratribus debent esse communia. Quasi verò differentia tantummodo metallorum, & non ipsa passio cupiditatis habeatur in noxa, & pro rebus quidè magnis ita fieri nō liceat, pro vilioribus verò hoc ipsum fecissè sine culpa sit, & non idcirco pretiosiores abiecerimus materias, vt facilius disceremus viliora contemnere. Quid enim differt, vtrum quis perturbationem cupiditatis erga opes amplas atque magnificas; an erga viliores exerceat species: nisi quòd in eo reprehensibilior iudicandus est, quòd, qui maxima sprecuerit, minimis obligetur? Hæc Cassianus.] Et Marcus eremita cum anima sua loquens ait: Verum dices quidem mihi anima charissima, Nos aurum in thesaurum non recondere, neque possessiones habere. Et ego dico tibi, aurum, & possessiones non nocere, sed inhærentem affectui abusum eorum.] Hæc cum ita sint, constat, ad perfectam paupertatem non satis esse carere superfluis, nisi etiam in necessariis querendis aut habendis modum teneamus. Insipientesque esse illos, qui cum propter animi puritatem maiora reliquerint, causa rerum minimarum ac contempnibilium, ad priores redeunt animæ sordes, & pariter pro paruis atque pro maximis eandem aut similem contrahunt prauitatem.

Qui ergo voluerit ab imperfectionibus istorum liberari, non solum superfluum & inutilem vsum deferat, verum & in habendis necessariis affectum immoderatum comprimat, & modum debitum teneat. Se hospitem in hoc mundo, & cenobium, in quo habitat, hospitium esse cognoscat; & sicut prudens viator, rebus quidem diuersorij vitur; ad eas autem non afficitur, post modicum inde transiturus: ita & ipse rebus necessariis vtatur, affectum autem eis adherere non sinat. Sic fecerunt patres illi, quorum meminit Paulus, qui [iuxta fidem defuncti sunt, non acceptis reprimissionibus, cōsidentes quia peregrini, & hospites sunt super terram.] Abraham

Marc. ere
mita in
consul.
cum an-
ima sua.Hebr. 11.
13.

A quidem hoc sibi nomen imposuit, qui loquens ad filios: Hæc ait: Aduena, & peregrinus sum apud vos.] Et Dauid: Aduena ego sum apud te; & peregrinus sicut omnes patres mei.] Et ad Isaac dictum est: Quiesce in terra, quam dixero tibi, & peregrinare in ea.] Hi omnes peregrini vocantur, & nos in illis ad peregrinandum inuitamur, vt sciamus posse quidem rebus huius mundi ad necessitatem vti, non autem securum esse illis affectibus adherere. Ad id ipsum sanè hortatur nos Basilius quodam loco, sic scribens: Sancti autem viri est hanc vitam more hospitis transire, ac ad alteram properare. Ideo & Dauid de ipsa loquitur: [Incola ego sum, & peregrinus sicut omnes patres mei.] Incola item fuit Abraham, qui ne terræ quidem vestigium propriæ possedit: sed vbi opus ei sepulchro fuit, id argento mercatus est. Ex quo sanè scriptura demonstrat, quemadmodum in carne viuentem, incolam esse oporteat; migrantemque; ex hac vita, in locis propriis requiescere: quoniam in hac vita alienigenis cohabitatur: tertiam verò corpus in sepulchro recipientem mercatus est. Beatus planè, qui iis, quæ in terra sunt, non vt propriis se addixit, neque isti sæculo tamquam naturali suæ patriæ acquieuit: quin potius grauatur, quòd incolatum hunc casum nouit esse à rebus potioribus, & quasi proscriptionis domicilium vitam hanc incolit, perinde atque illi, qui ob quampiam delicta coguntur iudicum calculis solum vertere, relegati in exilium. Rarus inuentus est talis, qui presentibus non vt propriis vacet: diuitiarum vsus fluxum atque fragilem sciat, corporis valetudinem prosperam breui tempore duraturam, postremo humanæ gloriæ floridam felicitatem, minime firmam ac stabilem esse cognoscat. Hactenus ille.] Cuius iudicio rari sunt, qui res terrenas sine affectu possideant. At (vt ego opinor) cum possidentibus eas, id est, cum his, qui necdum sæculo renunciarunt, loquebatur. Nam qui pro obligatione sui status, nihil possidet, & eò vsque processit, vt reiectis rebus superfluis, necessariis dumtaxat vti velit, is non parat difficile, ab his paucis quibus ad vitam indiget, suum affectum vacuare. Atque adeo multi in nostro statu inueniuntur, qui res ad vsus necessarias sine immoderantia affectus assumant. Experientia enim comperit, iucundiores esse rerum temporalium vsus, si ab immoderato affectu erga eas euellatur. Qui & nostri corporis imbecillitati prodest, & animæ curarum aculeis minime inquietat, & eam sua imperfectione non sedat. Iucundius autem est fructum rerum sine his molestiis & detrimentis capere, & mente non rebus vilissimis hære, sed in Deo, earum datore, requiescere.

Hos perfectos viros sponsa referbat, cum de oculorum pulchritudine ac simplicitate laudata est. Oculi tui columbarum,] inquit sponsus ad eam, [absque eo, quod intrinsecus latet.] Columbarum oculi sunt admodum lucidi, & innato quodam splendore perspicui; sunt etiam simplices, qui non toruè, aut malitiosè, sed syncerè in res obiectas intendunt. His oculi animæ perfectæ sunt similes; nam & sapientia lucent, qua rerum temporalium vilitatem agnoscant, & amabili synceritate donati sunt, quæ eisdem rebus tamquam abiectis non hæreant. Et quemadmodum viator, si pontem in via reperiat, eam respicit, non vt in illa suum habitaculum faciat, sed vt per illam sine amnis decurrentis periculo ad ciuitatem petueniat: ita & hæc anima res terrenas respicit, non profectò vt in illis amore listat, sed vt ad Deum, in quo tamquam in propria mansione pausatam sit, transeat. Scitè Richardus Victorinus hunc sensum prosequitur. Habet, inquit, talis anima

Gen. 23. 4

Ps. 38. 13

Gen. 26. 2

Basil.

Cæt. 4. 1.

oculos

oculos columbarum, quia simpliciter inuenerunt ista terrena, nec ad hanc desiderio cupiditatis rapitur, immo modicis contenta est; aliena non ambit: non fertur desiderio ambitionis, vel diuitiarum: vel alicuius delectationis carnalis. Interior mentis sufficientia placitum aspectum facit exteriorem: ut circa terrena oculos habeat columbarum, sicut in cupidis terrenorum appetitus, facit oculos miluorum. Non hanc affligit rerum cura: non vexat amor: non fatigat occupatio; magna quiete & securitate fruuntur, dum ista non quaerit, non curat, non concupiscit. Sicut enim in Iob legitur. Homo nascitur ad laborem; auis verò ad volandum.] Quia qui homines sunt, id est, humani; carnales, id est, mundanorum desiderio occupati, laborem habent. Boni verò dum hanc non amant, vel desiderant, ab horum afflictione euadunt, & auolant. Malis ex cupiditate (quae est radix omnium malorum) labor iste nascitur. Boni verò Spiritus sancti renouatione, & subleuatione ad hunc volatum & libertatem nascuntur. Isti sunt, qui ut nubes volant; & quasi columbae ad fenestras suas: quia ad aeterna desiderio subleuantur: & ad infirma nulla cupiditate feruntur. Hec ille.] Hoc itaque est animam oculos habere columbarum, rebus terrenis affectu non haerere, & earum usum sine nimietate amoris accipere. At id quod sequitur [absque eo quod intrinsecus latet,] secundum Gregorium, est cordis desiderium purum, illibatum, & in Deo erectum retinere, ut sic tota pulchra sit, quae terrenis non haeret, & caelestia concupiscit: quae temporalia in transitu respicit, & in caelestibus requiescit: quae demum rerum necessarium, quibus pro conditione huius vitae vitur, usum quidem, non amorem admittit.

Iob. 7.

Ipsa 60. 6.

Greg. ad cant. c. 4.

Caesarius hom. 23.

Ioa. 6. 11.

Dorothei apoc. 3.

Ut itaque nos, qui voto paupertatis obligati sumus, & ad huius virtutis perfectionem aspiramus, eam tandem consequi possimus, affectum nostrum à rebus terrenis etiam maxime necessariis emundemus. Ut enim Caesarius Arelatenis Episcopus ait: Nihil interdum possidere, necessitatis est; nihil per auaritiam cupere, virtutis. Et ideo hunc ille specialiter modum ponere religiosus debet, ut tantum habeat quantum necessitas poscit. Habendi enim amor, nisi ad integrum refecetur, ardentior est in paruis, & plus torquetur in minimis. Et nisi ex toto corde, & affectu pauperis, paupertas ipsa non virtus, sed miseria iudicanda est. Sic ille.] Vnus rerum admitendus est, & cum humilitate, & gratiarum actione suscipiendus: quis enim sine cibo, sine potu, sine veste, & sine cella, atque aliis similibus viuere potest? at affectus est Dei amore ac desiderio frandus. Hanc mater nostra religio benignè ministrat: non cum querelis, aut obmurmurationibus, sed cum affectu gratitudinis accipiuntur. Nam si filius ipse Dei, cuius omnia posuit pater in manus, pro quinque panibus hordeaceis gratias egit; cur religiosus, cui non panis hordeaceus, sed triticeus, & interdum simillagineus ministratur, & non simplex esculentum, & commedum indumentum offertur, sine gratiarum actione suscipiat? Ministrat autem religio haec, & reliqua necessaria ad usum, non ad amorem: ad adiumentum, non ad impedimentum. Ut ei igitur pareamus, usum quidem, & inuamen admittatur, nimius verò affectus ligans, & mentis libertatem impediens, refutetur. Cogitationes nostrae haudquaquam in his rebus contemptibilibus ponendae sunt, sed in iustitia & sanctitate quam quaerimus, collocandae, cui illae ut additamēta tribuuntur. Res sanè temporales, ut alienae, & nobis commodatae, diligenter ut durent, & quam minimum laedantur, tractandae sunt. Nam istud est optimum pauperibus Christi

A datum documentum Dorothei: Nequis, inquit, propriis vestimentis abutatur: Est enim quis, exempli gratia, qui tunicam suam queat vnam duas ve hebdomadas ferre, & abiiciens illam ante id temporis, abluat, & conterit, ita ut cum per menses aliquos, atque amplius utilis esse posset, crebra lotionem eam reddat inutilem. Contra conscientiam fit hoc. Rursum extendit quis ad solem, vel tunicam, vel operatorium, & negligentia & incuria ardere illud permittit, nec eleuat cum debet, & hoc vitium contra conscientiam est. Res, inquam, sollicitè curentur, ut feruiant, non tamē nimia cura & cordis adhaesione custodiantur, aut pro melioribus commutentur. Nam & hoc reprehendit idem magnus rerum spiritualium magister in haec verba: Cum contentus esse quis possit vnico cervicali, statim amplissimum quaerit: habens laneum, illud quaerit commutare, ut nouum recipiat, vel aliud pulchrius, motus superbia & vanitate. Potest item alicui satis esse culcitra vna, & tapetem quaerit, altercatūque etiam forte nisi acceperit. Si quis quoque animaduertat fratrem aliquid habere, quo ipse careat, inuideatque, & murmuret, non est hic in via proficiendi.

Res etiam, quae nobis ad usum datae sunt, ut libri, publicè habeantur, gaudeamurque si ab aliis interdum accipiantur, & cum bona venia nostra, ab affectu fraternitatis, & amoris, qui omnia haec facit communia, illis communicentur. Nam de eo quod aliquis haec accipiat, tristari, astutus est diaboli, de quo Hugo haec ait. Et saepe aliqui ex paruis & vilibus rebus tanto inardescunt desiderio: ut earum occasione concordiam fratrum soleant conturbare. Quod persuasione diabolica fieri dubium non est. Callidus enim hostis omnium mores nouit, & qualitates atque eorum affectus discernit: & in eo vnumquemque tentat, in quo se magis praeualere cognoscit. Nec curat utrum ex magno vel ex paruo decipiat: tantum ut charitatem fratris corrumpere valeat. Debemus contra hostem callidum cauti & vigilantes esse: eius laqueos in omni rerum materia praecauere, & omnia terrena, quibus decipere potest, animi virtutem calcare, ut possimus cantare cum Propheta: Laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Sic ille.] Has nos aduersarij tendiculas fugiamus: & si aliqui nostro vsui applicatum quisquam fratrum ad momentum acciperit, patienter, immò & grater, ferendum est: si verò id ipsum à nobis postulet, libentissimè commodemus. Sic illam benedictionem cosequemur, cuius meminit psaltes dicens: Iueundus homo, qui miseretur, & commodat: disponet sermones suos in iudicio, quia in aeternum non commouebitur.] Hanc enim verba de paupere Euangelico praecipue dicta videntur. Nam diues miseretur, & dono dat, quia habet unde sibi, & aliis prouideat, nec est opus sibi ut data reparet. At pauper miseretur, & commodat, siue mutuo dat, quia eo, quod à se petitur, indiget, & cum illud, quod habet, suum non sit, illud donare non potest. Hic ergo homo amabilis Deo, & hominibus, ac gratus est, quia diuinæ largitatis imitator est. Miseretur ille fratris sui, cum necessitatem eius oculis benignitatis videat, & petitiones eius exaudiat, & ei secundum possibilitatem suam subuenire decernat. Commodat illi quod petit, vel quia mutuo dat ex eo quo ipse dator indiget, & sine praelati facultate dare non potest, vel quia licet dono det, semper haec mutui aut commodati ratio intercedit, quod cum spe retributionis aeternae dare disponit. Et cum id quod recepturus est, nempe praemium aeternum, rem datam aut commodatam in infinitum superet, sine vilo crimine sanctam quandam vsuram, nullaque lege vetitā, admittit. Pro

Idem ib.

Hugo ad reg. Aug. c. 8.

Psal. 7.

Psal. 111.

tit. Pro

tit. Profert ille sapienter sermones suos, & licet beneficium sit in illum, cui subuenit, se tamen maius beneficium, id est, occasionem miserendi, sermone recepisse cognoscit. Ideo nunquam a spe sua excidet, sed quia non semel, aut bis, sed tota die, & quoties se obtulerit occasio, miseretur, & commodat, semen ipsius, id est, multiplex meritum eius dum augetur, in benedictione erit.

Ille ergo religiosus hunc paupertatis gradum affectus est, qui ira fuerit necessariis contentus, ut eis immoderato affectu non hæreat: qui rerum necessariorum ita curâ abiciat: qui ineptas & superfluas earundem rerum comutationes fugiat: qui eas, si commodè possit, fratri petenti non denegat, sed libenter mutuo concedat: qui denique, si absque eius consensu ad tempus tollantur, æquamiter ferat. Hic gradus magnam secum pacem affert, & non paucos, nec leues defectus, ac turbationes abscindit.

Quintus Gradus Paupertatis, rerum necessariorum penuriam pati.

CAPVT VIII.

ATIS rudis (vt mihi quidem videtur) & incipiens erit paupertas, si in his gradibus, qui explicati sunt, sistat: & ad hunc quintum, quem præ manibus habemus, non procedat. Paupertas enim indigentia vocatur, eo quod pauperem aliquibus indigere faciat. Qui autem solum curat superflua rescacare, & omnibus necessariis vult abundare, & nulla re, neque minima indigere, is falsò sibi nomen pauperis arrogat, & de huius virtutis perfectione se iactat. Audeo dicere, neque reges huius sæculi hoc habent, vt nullo egeant, & ad suum statum omnia necessaria possideant. Neminem illorum videbis, qui nõ a subditis tributa exigat, qui non multorum talentorum sit debitor, qui non, in extraordinariis sumptibus, quales insurgente bello fieri solent, non ex nobilibus noua auri & argenti adiumenta corradat. Id autem sæpe facit, non cupiditate thesaurizandi motus, sed vera necessitate pressus, & indigentia compulsus. Quod si reges terræ necessariis indigent, delicata satis, immo & ridicula erit profectò illius religiosi paupertas, qui nullo indigere velit, & omnibus necessariis abundare. Qui si cibis bene paratus non sit, aut non abundanter, & suo tempore ministratus, murmurat: si vestis illi data sit aliquantulum decreta, conqueritur: si in librâ, si in cellâ suppellectili aliquid desit, tristatur: cuius vox videtur esse illa Apollonij Tyanei, qua ad dũs suis petebat: Concedite mihi pauca habere, sed nullus indigere. Is secundum mundum istum dicitur diuitibus huius sæculi, nam illi talem paupertatem non auerterentur, qua nihil illis deficeret, & quidquid in mentem venisset, statim haberent.

Paupertas igitur non solum efflagitat, vt superflua & inutilia abiciamus, vt sola necessaria habeamus, vt his nimio affectu non adhareamus; verum & vt aliquando indigere & penuriam pati nouerimus. Cibus pauperum semper sit communis, ab omnibusque delicis secularium alimus, & aliquando sit pareus, qui nos tantillum famis experiri permittat. Vestis sit vilis, quam modicis expensis religio ministret, & interdum sit minus comoda, quæ in hyeme algere, & in æstate calorem sustinere faciat. Reliqua suppellex sit curta, quæ non ad luxum, & ad desiderium naturæ corruptæ nostræ, sed vix ad necessitatem sufficiat. Quod si nobis omnia abundanter tribuantur, ita vt

A non appareat, in quo indigentiam patiamur, nostrum erit ea cū rubore & confusione suscipere, & nos ipsos tamquã pauperes fictos arguere, & aliqua pro amore paupertatis a nobis sponte subtrahere. Hanc paupertatē, quæ indigentia admittat, in illo sancto Christi collegio, haud dubiè reperiemus. Matthæus enim ait: Abiit Iesus per sara sabbato; discipuli autē eius esurientes cœperunt vellere spicas, & mādūcare. Non erat sanè nimis abundans illa sancta domus, cui panis etiam cibariorum defuit, & spicæ vellendæ fuerunt, & grani manibus permundādi, vt ad famem depellendam sufficerent. Huius autem euulsiōnis spicarum causam fuisse discipulorum famē, qua premebantur, manifestè Dominus patefecit, verbis sequentibus: [Non legistis, inquit, quid fecerit David quādo esuriit, & qui cum eo erant, quando intrauit in domum Dei, & panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere:] Ac si diceret; sicut necessitas, & magna esurientia Davidis, & sociorum eius, acceptionem, & consumptionem panum propositionū, licitam fecit: ita & presens necessitas discipulorū meorum euulsiōnem spicarum, atque earum manibus confractionem licitam & studiosam efficit. Hanc paupertatem meritò quidem exaggerat Chrysostrōmus, dum ait: Tu verò abstinentiam discipulorū mecum admirate: admirare, inquam, quomodo nullā corporis curam, nullum studiū habeant: sed sine præmeditatione aliqua & præparatione mensam sibi sic constituunt, vt continua ferè cogantur inedia premineque tamen à Christo abscedant: nam nisi malo inedia nimium vexarentur, nunquam certè illud in sabbato fecissent.]

B Ille itaque Dominus, [qui dat iumentis etiam ipsorum, & pullis cornuorum inuocantibus eum:] discipulorum dilectissimorum quasi obliuiscatur, & vel panem hordeaceū non ministrabat, vt discerent indigere, & pauperibus Euangelicis formā paupertatis ostenderent. Qui certè, si nunquam egeant, si nunquam famem ex defectu cibi, aut frigus ex attritione indumenti, aut aestum ex celle incommoditate patiantur, vim paupertatis ignotant: quæ non solum abundantiam, & rerum affluentiam, sed indigentiam, sed penuriam, sed rerum etiam necessitatum carentiam intulit.

C Paulus etiam Apostolatus dignitatem adeptus, dissimilis esse noluit aliis Apostolis in affectu paupertatis. Ait enim se pro Christo laborasse, & Euangelium disseminasse in labore, & ærumna, in vigiliis multis, in fame, & siti, in ieiuniis multis, in frigore, & nuditate. Hoc namque est stipendium Apostolo strenuissimo prerogatum à Domino: Hæc curatum vaecitas, vt possit se totum in ministerium prædicationis impendere: rerum omnium indigentia, qua ad corporis necessitates subleuandas distrahatur. Ita quidē, quia non pro mercede terrena, sed pro cælesti premio laborat. Sit illi fames pro cibo, sitis pro potu, sitis in pro fatuitate, sit illi frigus pro fomento, & maditas pro glorioso carnis amictu, quia sic docet Euangelicōs pauperes vnuerfa terrena vsque ad sustinentiā magna indigentia cōtinere, & sola cælestia suscipere. Nec timendū est, quod fortis animus his necessitatibus pressus à ministerio veri abuoceat, quia has necessitates sciens, & volens, pro Christo elegit, cuius gloriosum aspectum vt mercede solum expectat, & necessaria ad sustentandam naturā non defutura confidit. Egeat Paulus, & etiam necessarius creat, vt his quæ prædicat, testimonium ferat. Si enim eum ac prædicatores reliquos viderint homines nihil in hoc mundo querere, & alacres in opia sustinere, propter spem futurorum honorum, & his, quæ sibi proponuntur, in futura vita cœturis credent. Vnde Chrysostrōmus

Egregiè

Matth. 12.1.

2. 3.

Chrysostr. hom. 40. in Matth.

Ps. 145. 9.

1. Cor. 11.

27.

Chrysostr.

egregie ait: Talis est luminis virtus, vt non solum luceat, sed & illuc ducat illos, qui sequuntur. Cum enim viderint omnia presentia nos contemnetes, & ad futura preparatos, ante omnem sermonem operibus nostris credent. Quis enim ita est amens, vt videns eum, qui & ante lasciuiebat, & ditabatur, omnia exutum, & ad famem, & inopiam, & duram vitam, sanguinem, occisionem, & omnia, quae videntur periculosa, preparatum, non manifestam accipiat hinc futurorum demonstrationem? Si autem nos presentibus implicauerimus, & immiscuerimus, qualiter poterunt credere, quod ad possessionem aliam festinamus? Sic ille.] Haec autem non tantum illis religiosis congruunt, qui salutem animarum curant: verum, & ceteris omnibus, licet solitaria vitam agant, quoniam ad illos etiam pertinet, vt testes sint veritatis fidei, & eam aliis praedicent, si non verbo, at sanctae conuersationis exemplo. Haec autem conuersatio maxime persuadet, cum vsque ad sustentiam indigentiae, & vsque ad defectum rerum necessarium temporalia contemnit.

Nec Dominus durus est in homines, qui a iustis saeculum relinquentibus, talem paupertatem exposcit: nihil enim ab illis petit, quod non sibi ipse prius acceperit. Nam & eius indigentia magna fuit in infantia, magna in vita decursu, magna in morte ipsa, cui ob dolores irruentes solent commoda nonnulla absque paupertatis iactura concedi. Denique verbum eius est: Vulpes foveas habent, & volucres caeli nidus, Filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.] Nescio an indigentia ulterius progredi possit. Cui enim in terra constituto, licet pauperrimo, licet ab omnibus derelicto, defuit aliquando lapis, in quo caput ad quietem apponeret? Certè Iacob a domo paterna, & a patria exulans, & fratris indignationem fugiens, in ipsa solitudine tulit de lapidibus, qui iacebant, & supponens capiti suo dormiuit in eodem loco. At Filius Dei, quanta paupertate nostri causa premeretur exposuit, dum se eua carete loco, vbi caput reclinarer, edixit. Et nos talem paupertatem ob amorem eius eligemus, vt nullo omnino indigeamus? Et statim atque aliquid defuerit, querulamur? Et statim pauperum, non ad patendum, sed ad commodius viuendum, assumemus? Quis non videat hoc esse statum paupertatis abuti, & homines velle decipere, & sub praetextu paupertatis vitam a molestis alienam querere? Eligamus itaque indigentiam, & inopiam, quae sine dubio vtilior est nobis. Vt enim ait Hugo Victorinus, Melius est aliquid egestatis propter Dominum sustinere, quam superabundare. Nam egestas, quae propter Dominum est, generat humilitatem, quae est initium omnium bonorum. Abundantia vero parit superbiam, quae est initium omnium malorum. Seruus ergo Dei, vt voluntatem atque appetitum carnis possit reprimere, semper debet ad minus redere, vt ipsorum alimentorum, & vestimentorum minus velit habere etiam, quam necesse sit. Adiutorem quippe habemus internae interionis hunc hominem, quem exterius gestamus: & si ipsi insunt lasciuia: ipsi tamen affectus suppetunt operationis bonae. Vnde necesse est vt interior homo noster aequus quidem arbiter praesideat inter se, & eum, quem exterius gestauit: quatenus ei homo suus exterior, & semper ad debitum ministerium seruire sufficiat, & numquam superbe libera ceruice contradicat.

Vult autem Christus Saluator noster, vt paupertatem vsque ad defectum rerum necessarium eligamus, non quia durus, aut immitis sit in nos (vt cepimus dicere) qui tenerissime suos diligit, sed qui huius paupertatis ministerio mira operatum in nobis. Indigentia, & penuria rerum Deus mentem purgat, & su-

perflua peccatorum eliminat. Ecce excoxi te, inquit, sed non quasi argentum, elegi te in camino paupertatis.] Compunctio excoquit, & peccata delet, & non quasi argentum excoquit, quia non vt digni eramus, afflictione premit, & in camino paupertatis eligit, quia penas, quas merebamur, labore paupertatis tollit. Vnde Gregorius de diuite epulone illo, & Lazaro mendico sic scribit: Si qui estis, qui in hoc mundo exterioris boni aliquid accepistis, ipsum, vt ita dicam, donum exterius pertimescere debetis: ne vobis pro quorundam vestrorum actuum recompensatione sit datum: ne iudex qui hic bona exteriora restituit, a retributione boni intimi repellat: ne honor hic, vel diuitiae, non adiumentum virtutis, sed remuneratio sint laboris. Ecce enim dum dicitur: recepisti bona in vita tua: iudicatur & diues iste boni aliquid habuisse, ex quo in hac vita bona receperit. Rursumque dum de Lazaro dicitur, quia recepit mala: profecto monstratur & Lazarus habuisse malum aliquid, quod purgaret. Sed mala Lazari purgavit ignis inopia, & bona diuitis remuneravit felicitas transeuntis vitae. Illum paupertas afflixit, & terti, istum abundantia remuneravit, & repulit. Quicumque ergo bona in hoc saeculo habetis, cum vos bona egisse recolitis, valde de ipsis pertimescite, ne concessa vobis prosperitas eorumdem remuneratio sit bonorum. Et cum quolibet pauperes nonnulla reprehensibilia perpetrare conspiciatis, nolite despiciere, nolite desperare, quia fortasse quos superfluitas tenuissimae prauitatis inquinat, caminus paupertatis purgat. De vobis omnimodo pertimescite: quia nonnulla etiam male acta, prospera vita secuta est. De illis vero sollicitè pensate, quia eorum vitam etiam magistra paupertas cruciat, quousque ad vitae rectitudinem perducatur.] Nemo (vt credo) diffitebitur, quia habet multas culpas, quas purget, multas penas, quas soluat, dicente Apostolo Ioanne: Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus. Has autem, & illas non tollet nomen paupertatis, sed res. Nomen vacuum est illa paupertas, quae abundantiam querit, & nullam indigentiam sustinet. Res vero paupertatis, est, inopiam & penuriam rerum, quibus egebamus, amplecti. Hanc diligamus, si cupimus a peccatis nostris paupertatis igne purgari.

Mala quidem tollit ista paupertas, qua indigentiam & absentiam aliquarum rerum, quae opus erant, experimur, nec solum hoc, verum, & exercitationem, & augmentum, & perfectionem virtutum confert. Inopia haec voluntarie suscepta virtutes exercet, nam ad rerum despicientiam prouocat, humilitatem infert, & patientiam examinat, sine qua, audeo dicere, nulla virtus secura persistit. Nam verba sunt Ambrosij. Non potest quis praemium accipere, nisi legitime certauerit; nec gloriosa victoria est, vbi non fuerint laboriosa certamina.] Qui igitur certamina virtutum patientia non vicerit, non poterit victoria coronari. At, quae patientia erit, vbi nihil est penuriae, nihil afflictionis, quod sufferatur? Certè si omnia affluunt, & ad votum abundant, non apparet, in quo paupertas, quae nullo indiget, aut patientia, quae nihil sustinet, magnum aliquid praemium consequatur. Virtutes etiam auget ista paupertas, dum occasiones vitiorum abscondit. Et ideo Crates Thebaeus, auctor Hieronymo, cum esset diuissimus, & Philosophiae discenda causa Athenas pergeret, magnum auri pondus, quod possidebat, abiecit, existimans videlicet se non posse simul diuitias & virtutes possidere. Simile autem est, diuitias retinere, & abundantiam in omnibus querere, & omnem indigentiam inseparabilem paupertatis comitem auersari. Si autem tu post arreptum sanctae

religio

Matth.
8.20.Gen. 28.
11.Hugo in
reg. 6. 5.Isaia 48.
10.Gregor.
hom. 40.
in Euidg.Luc. 16.
25.1. Ioan. 1.
8.Ambrosij.
epist. ad
Paulin.Hieron.
epist. ad
Paulin.

religionis propositū, & post abiectas diuitias, abundantiam concupiscis, & penuriam horres, tibi ipsi statum perfectionis habenti contradicis. Nam hic status nuditatem, aut vacuitatē terrenis affectibus profiteretur, tu verò plenitudinem diligis, & desiderio, vt nihil tibi omnino desit, inquiris. Ab hac demum indigentia in statu nostro virtutum perfectio depēdet. Sapēque vidimus pauperiores, & voluntate indigentiores, & sibi ipsis parcē necessaria tribuentes, aliis, qui abundantiam querunt, mentis munditię & virtutum augmento præcellere. Nec mirum, nam illi expeditiores sunt ad currendam perfectionis viam, hi verò quasi suorum desideriorum cōpedibus vincti, ne valeant liberē per viam arctā & cliuosam incedere. Atque adeo iure optimo Vincentius Ferratiensis perfectionis documenta ab hac paupertate, quę indigentiam sustinere sciāt, orsus est, quia videlicet ipsa curis terrenis liberat, vt vna præcipua cura sanctę viuēdi nos teneat. Oportet, inquit, primitus, vt qui vult sanctus esse, & animabus prodesse, omnia terrena contemnat, & velut stercorea reputet, & solum districte ad necessitatē de ipsis recipiat: quam necessitatē in paucis colligat, sufferendo etiam quædam incommoda propter paupertatis amorem, sicut quidam ait: Scio quod laudabile nō est pauperem esse, sed in paupertate paupertatem amare, & paupertatis inopiam propter Christum gaudenter & hilariter sustinere: Et statim subdit: Proh dolor! multi de paupertatis solo nomine gloriantur. Sed quo pacto? vt eis nihil desit. Dicunt se amicos paupertatis, sed paupertatis amicos & sodales fugiunt suo posse, famem, sitim, contēptum, despectionem. Sic ille. Ego autem addo, quod factis hi conuincuntur paupertatem non amare. Nam qui amicum diligit, omnia eius diligit, & qui virtutem paupertatis amat, eius actus dilisse non potest.

At quibus ad hunc gradum ascendendum incitaberis? His, vt opinor. Primò, quod natura paucissimis contenta est, & multa necessaria petamus, quæ dum ex parte, aut omnino deficiunt, sine illis nos commodē & lætē viuere non sperimus. Secundò, quod multi ex fratribus nostris nobiliores, & delicatiores aliqua incommoda propter Christum sentiunt, & sua patientia cælum mercantur. Vnde erubescendū esset nobis, si nihil incommodi sustineremus, quo augmentum cœlestis præmij mercaremur. Tertio, quod multi in sæculo etiam post magnam abundantiam ad extremam inopiā redacti sunt, & euentibus cogentibus non solum necessariis carent, sed penē ob defectum cibi, & potus, ad ianuam mortis accedūt. Illi sine fructu tanta patiuntur, quia non voluntariē, nec propter Deum illis incōmodis se subiecerunt, quid multum si nos propter perfectionē, & regnum cœlorum aliquibus careamus, & non nihil indigentię sustentemus? Quartò, Deus pauperes suos, qui propter ipsum egere volunt, bonis spiritualibus ditat; & secundum multitudinem incommodorum meorum opes tuas, Domine, quibus tuos amicos ditas, impleuerunt animam meam. Quintò, dum Christus à te aliqua necessaria tolli permittit, ipse tibi se liberent associat, vt tuam indigentiam suppleat, iuxta illud Isaię: Dabit tibi Dominus panem arctum, & aquam breuem, & non faciet auolare te vltra doctorem tuum. Sed dum nec cibum, nec potum, nec reliqua ad sufficientiam habes, Christi societate, qui melior est tibi quam omnes diuitiæ mundi, perfrueris. Sextò deniq; Magna atque indicibilis consolatio parata est indigentiam aliquā pro Christo patientibus. In cuius rei typo dictum est diuiti epuloni: Fili, recordare, quia recepti isti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc

A verò hic consolatur, tu verò cruciaris. Nec tota consolatio in futuram vitam seruata est, sed multum refrigerij in vita præsentis indigentiam patientibus datur. Sicut enim tres pueri in fornacem ignis ardentis coniecti, cœlesti cōsolatione repleti sunt, adeo vt præ lætitiā in Dei laudē prorumperent: ita & pauperes Euāgelici in camino paupertatis positi, ingentē exultationē cœlitus demissam accipiunt. Quam rem magnificis verbis exponit Chrysostrōmus in hunc modū: Consideremus nouū quiddā atq; mirabile, hominē in fornace gratias suppliciter agentē: hominē in fornace dulci modulatione cantantē: hominē in extrema inopia colligatū, & plurimā tamen Deo gloriā, laudēque referentem. Illis siquidem pueris inueniuntur æquales, quotquot paupertatē cum gratiarū actione patiuntur. Est enim terribilior pauperes igne, & amplius ferire consuevit. Verū vt illos nō aduulsi ignis, sed quoniā gratias Domino retulerūt, etiam vincula eorum continuē dissoluta sunt: Sic etiā tibi, si paupertatem cum gratiarum actione sustinueris, vincula resoluuntur, & ignis extinguitur. Si verò non extinguitur, multo maiori miraculo fontis naturam ignis imitabitur, quod in his certē conspici potest, qui iuxta Euāgelium philosophantur, quique libentius in paupertate, quam in suis opibus diuites, gloriantur. Nam & tunc illi, qui in ardenti fornace consistunt, purissimo rore fruebantur: & licet non fuerit ignis extinctus, in medio sui tamen stantes, omnino non ardeunt. Hactenus ille. Si autem Deus pauperes non solum statu, sed experimento, qui scilicet indigentiam necessariorū patiuntur, ita multiplicat, ita protegit, ac consolatur, æquum est, vt qui statu pauperes Euāgelici sumus, experientia quoq; pauperes simus, & libenter penuriam & incommoda partiamur.

Chrysostr. homil. 4. in Matt.

Sextus Gradus Paupertatis, in egritudinibus paucis contentum esse.
CAPVT IX.

AD hunc gradum paupertatis ponendum, & illum à præcedente distinguendum, nos auctoritas Bonau. compellit, qui istū gradum huius virtutis enumerās, ab illo priori distinguit. Sic enim ait: Altus gradus paupertatis est, nolle habere certū hospitium, sicut Christo non fuit locus in diuersorio. Altior, non habere certū victū, & vestitū tempore sanitatis. Altissimus, nolle habere certū victū & vestitū tempore infirmitatis. In hoc vltimo gradu fuit Christus, cum nō habuit vbi caput suum reclinaret, nec haustū aquę, nec vestem, sed nudus ante crucem stetit. Cogit & maior difficultatis ratio. Nam difficile est, cum quis bene valet, & sanus, ac robustus est, indigentiam amare, multo autem difficilius, cum ægrotus est, & imbecillus, penuriam atque inopiam amplecti. Cogit denique quotidianū experimentum. Nam vidimus non semel viros spirituales, & religiosos, tempore bonę valetudinis satis constanter à seipsis etiam necessaria abstulisse, vt propter Dominum aliquā indigentiam paterentur: qui tamen infirmitate probati, nescierunt nec minimam indigentiam sine mœrore, & impatientia sustinere. Ac proinde cum hæc duo se iuncta, separatim inueniantur, non incongruē ad duos paupertatis gradus pertinere dicuntur.

Bonavent. tract. de gradibus virtut. ca. 9. to. 1. opusc.

In hoc autem gradu certē cum timore & reuerentia loquimur: nā viros spirituales, & Deo cōsecratos, in infirmitate & afflictione positos nollemus cōstringere, immo fouere, consolari, & illis modis omnibus indulgere. Genus quippe crudelitatis est, afflictū affligere, & desolatū angustare, de quo conquestus est aliquando David, dicens ad Dominum: Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt, & super dolorem

Pf. 68. 27

Vincen. de vita spir. c. 1.

Isaie 30. 20.

Luce 16. 25.



vulnerum meorum addiderunt. Huiusque crudelitatē illi amici Iob notati sunt, qui iustum virum gravissima calamitate percussum, ita verbis, & increpationibus tetigerunt, ut coactus fuerit pro seipso causam dicere, & suam innocentiam propalare. Nec non & cognati Tobie in eundem seopulum impigerunt. Nam sicut beato Iob insultabant reges, ita isti parentes, & cognati eius, irridebant vitam eius, dicentes: Vbi est spes tua, pro qua elemosynas & sepulturas faciebas? Si autem iniquum est, vnum virum iustum persequi, an æquum erit, & excusatione dignum, omnes viros iustos, & spirituales, in pressura constitutos, novis legibus, quas nunquam nec digito tetigimus, coangulare?

At illud ad hunc gradum scribendum nos animat, quod nullo modo intendimus, huiusmodi viros ægrotantes affligere, quos tenero amore complectimur, & magna reverentia suspicimus, sed eos benevolentis & robustos alloquimur, & viam eis aperimus, qua cum magno merito suo, si infirmati fuerint, non nihil seipso constringant. Ad religiosos ergo sanos, & postea infirmos futuros, nobis sermo est, non ad prælatos, aut infirmarios eorum, qui debent eis cum ardentissima charitate ad votum ministrare, & largissime, quantum religiosa disciplina tulerit, necessaria præbere. In quo prælati negligentes, & ministri protervi, qui ægrotis Deo dilectis debitam commoditatem negant, & eos ad impatientiam prouocant, non leuiter peccant, & de sua immisericordia aliquando rationem reddent, & fortè commutatis vicibus cum in ordinem redigentur, ipsi à prælati suis duriter tractabuntur, & permittente Deo, ad vindictam pusillorum, non tantum commodis, sed necessariis carebunt. Custodiant ergo regulam Beati Benedicti, quam omnes familiæ religioſæ, si non eisdem verbis, at substantia suscipiunt, quæ ita habet. Infirmorum cura ante omnia, & super omnia, adhibenda est: ut sicut re vera Christo, ita eis seruiatur, quia ipse dixit: Infirmus fui, & visitastis me. Et quod fecistis vni de his minimis meis, mihi fecistis.] Meminerint illius sententiæ Hugonis Victorini, asserentis: In hac recreatione fratrum non debet esse acceptio personarum: non debet contemni humillima paupertas in his, quæ postulat humana necessitas, cum hoc eis tribuat recens ægritudo, quod diuitibus anterior consuetudo. Qui enim misericors est in alium, Deus misericors est in illum. Vnde ipse ait: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beatus quoque Ioannes dicit: Qui viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauerit ab eo viscera sua: quomodo charitas Dei manet in eo? Si ergo charitatem Dei volumus habere, debemus infirmis nostris misericordiæ opera exercere. Quod cum agimus, proculdubio ei seruiamus, qui electis suis diciturus est in iudicio: Infirmus fui, & visitastis me; esurius, & dedistis mihi manducare, &c. his similia: Quibus merces in se impenditur, cum dicitur:

Percepit regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. Cum ergo fratribus nostris propter Deum seruiamus, ipsum regnum cælorum requirimus. Esti opera sunt transitoria: merces tamen manet æterna. Sic ille.]

Profecto paupertatem commendamus, cum prælatos, & alios ægrotorum ministros ad curam maximam ægrotis adhibendam allicimus, quoniam (ut inferius dicimus) magna occasio eneruandæ sanctæ paupertatis religionis datur, nisi illis necessaria semper, sed præcipue in ægritudinibus, ministrantur. Nam sic aperitur ianuâ petendi à secularibus non so-

lùm necessaria (quod minus malum esset) sed etiam inutilia & superflua (quod est intolerabile) ex quo & ipsis scandalum & contemptus religionis generatur, & ipsi petentibus introitus ad detestandam proprietatem offertur. Prælati ergo pastores subditorum vocati sunt, ut secundum consuetudinem boni pastoris, ovi infirmæ & imbecillæ necessaria prouideant. Ne voce summi pastoris increpentur, dicentis: Quod infirmum fuit, non consolidastis; & quod ægrotum, non sanastis; quod confractum est, non alligastis.] Vocantur & medici, ut sciant, quia non est opus valentibus medicis, sed malè habentibus, & hõque debent necessariis fomentis adiunare. Ac tandem dicuntur matres, ut vitæ matris erga filios ægrotos induant, & non tam verbis eos, quam operibus, & delatis obsequiis consoletur. Sicque accipiant eam benedictionem Ecclesiastici: Esto pupillis misericors ut pater, & pro viro, matri illorum: & eris tu velut filius Altissimi obediens, & miserebitur tui magis, quam mater. Meminerit itaque prælati, religiosi, quibus præest, reliquisse sua, de quibus sibi poterant subuenire: reliquisse suos, à quibus poterant adiuuari: reliquisse semetipsos, qui poterant, & iam non valent, suis necessitatibus prouidere. Ipse autem in locum omnium istorum à Domino substitutus est, ad quem pertinet propinquum, immo & patrem esse ægroti, illi necessaria dare, & quasi sibi ipsi, ita & subdito misereri. Christum, cuius vicem gerit, imitentur, qui erga infirmos & ægros benignissimè se gessit. Non legimus de eo in Euangelio, quod nudos vestierit; hospites exceperit; in carceribus visitauerit; mortuos sepeliecit: at legimus sapissimè, quod ægros curauerit. Et virtus Domini, inquit Lucas, ad sanandum eos.] Et Matthæus: Circuibat sanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo.] Et Marcus: Multos sanabat, ita ut intrerent in eum, ut illum tangerent, quotquot habebant plagas.] Et in Actis: Pertransiit benefaciendo, & sanando omnes opprèssos à diabolo. Infirmos benignissimè alloquebatur, infirmos sermone roborabat, manu tangebatur, in spem erigebatur, & salutem desideratam restituebat. Hunc pastorum pastorem sequantur prælati, & ita suauiter, & prouidè, & diligenter erga infirmos se habeant, ut in eis subditi Christi charitatem agnoscant.

Quia tamen prælati omnia, quibus infirmi opus habent, per seipso præstare non possunt, eos infirmis curandis præficiant, de quorum industria & charitate confidant. Hi considerent, se in fratre infirmo non tam ipsi, quam Christo seruire, cuius erit hæc vox: Infirmus eram, & visitastis me. Si Christum in lecto decumbentem haberent, quanto amore, & reuerentia, & diligentia illi ministrarent? Sed ipsi profectò in fratre ministrant, ipseque gratum habet quidquid in fratre ægrotum obsequij confertur. Animaduertant illum fratrem esse, quod quidem nomen magnam beneuolentiam, & sedulitatem in adiuuando requirit. Ac tandem magnam mercedem paratam esse ei, qui ægrotorum importunitates tulerit, & eis patienter & mansuetè seruerit.

Hæc omnia ad leniendum hunc gradum paupertatis dicta sunt, quem religiosi ægrotis proponimus, quem etiam non putabunt nimis insulsum, si se statum penitentiae, & paupertatis attingisse conspexerint. Aliter ipsi quam seculares, & quam diuites, sanitatem sui corporis curent, quia nec seculares sunt, nec diuites: & vna, & quidem ingens huius mundi peruersio est, si res vnius status in alium inuehamus, & pauperes, more diuitum, expensas & sumptus

Tobie 1. 16.

Benedict. in reg. ca. 16. Matt. 25. 36. 40. Hugo ad reg. Aug. c. 5.

Matth. 5. 7. I. Ioan. 3. 17.

Matth. 25. 35.

n. 34.

Ezechiel 34. 4.

Matt. 9. 12.

Ecl. 4. 10.

Lucas 5. 17. Matt. 4. 23. Marci 3. 10. Act. 10. 38.

Matth. 25. 36.

facere

facere in animum induxerimus. Sed ad particularia descendendum est. Vir ergo spiritualis, & paupertatis amator, cum agrotare cœperit, communem medicum, qui reliquis cœnobij religionis medetur, ex consensu prælati accersat, & alium suo arbitrato doctiorem non quærat, & multo minùs turbam medicorum admittat. Absurdum est namque, & valde ridiculum, si fratrem meum in valetudinario, vel in proxima cella decumbentem, quin & grauiùs agrotantem, quia non est tam litteratus, aut secundùm sæculum nobilis, aut quia est religiosior, & minùs sæcularibus adalatur, vnus tantùm medicus inuisat, me autem leuiter agrotantem duo medici præcipui, aut plures vident, ac si ex mea salute tota religionis, immo & alicuius regni salus penderet. Cùm ægritudo periculosa est, & quasi enaginato gladio vitam inuadit, ad prouidentiam, & amorem prælati spectat, communi medico totius cœnobij alium peritum adiungere, vt duorum, vel plurium (si necesse fuerit) industria agro salus procuretur, at ipse agrotus si spiritum paupertatis habet, taceat oportet, & curam suæ salutis in prælatum paterna cura sollicitatum reiciat. At quacumque infirmitate pulsatum communis medici peritiam spernere, & alios non sine aliorum tristitia, & scandalo aduocare, animi est, aut superbi, & se ipsum nimium amantis, aut paupertatem, quam professus est, minime diligentis. Præceptum est Domini apud Bernardum, vide vt curam corporis facias, sed non in desideris, sic enim expedit infirmitati eius. Qui autem ab initio ægritudinis extraordinariū medicum vocat, indicium præbet quod non ad necessitatem tantum, sed ad inane desiderium suum remedia pellendæ infirmitatis inquirat.

Tempore etiam ægritudinis, religiosus pauper communia medicamenta, & quæ facile parari possunt, & consueta sunt, cum gratiarum actione suscipiat, singularia, & pretiosa, & apparatus aut inuentu difficilia, non petat, nec exquirat. Si enim pauper sæculi, hæc non auderet poscere, cur spiritu pauper, propter dominum, & voluntate mendicus, propter regnum cœlorum, ac si esset homo ditissimus, pretiosa, & vix inuenta medicamina audeat postulare? Cùm viro cuidam religiosissimo, & doctissimo, nostri temporis, remedium quoddam satis acerbum ad recuperandam sanitatem præscriberetur, cùmque nollet illud admittere, roganibus sciè respondit: Non est tanto dolore digna salus. Sic spiritualis religiosus agrotas sibi ipsi dicat: Non est tantis sumptibus, nec tanta diligentia digna pauperis salus. Si sibi quidem pretiosa ex Obedientia ministrantur, accipere non recuset, at si non ministrantur, tanquam ille, qui paupertatem vovit, ea petere nequaquam in animum inducat. Huius documenti Basilium habemus authorè. Sic vbi iussi sumus, inquit, in terram, de qua sumpti eramus, denuo reuerti, & dolorificæ carni, morti propter peccatum addictæ, ac propterea huiusmodi morbis subiectæ aptati sumus, datum nobis medicinæ remediū est, quo (adhibita tamè ea, quam adhiberi par est, moderatione) aduersum ægros uteremur. Neq; enim fortuito ortæ de terra herbæ sunt, ad singula morborum genera accommodatæ, sed nimirum eæ supremi opificis voluntate editæ sunt. Eo consilio, vt his nos ad vtilitatem nostram vti possemus. Quocirca ea quidè, quæ in radicibus, floribusve, aut foliis, aut fructibus aut succis, naturalis vis inest, aut quodcūque etiam ex metallis, marive aliquid ad corporis nostri vsum appositum habere inuentum sit, ea omnia earum rerum inuentioni similia iudicari debent, quibus in cibo potionèque vti consueuimus. At in quibus exquirendis curiosa quædam & anxia

A nimis solertia, curaque, est opus, quæque magnas nobis molestias quasdam conciliant, ac quasi vitam nostram in corporis curatione implicatam tenent, ea à Christianis hominibus funditus repudianda sunt, dandaque nobis studiosè opera est, vt huiusmodi arte (si quando res postulet) ita utamur, vt nullo modo omnem ei aut prosperæ, aut aduersæ valetudinis causam assignemus, sed vt ad gloriam Dei, & formulam quandam, qua nos in animorum nostrorum curatione vt oporteat, ita salutaria ab ea corpori nostro subsidia petamus. Sic ille.

B Et sanè hoc nõ erit difficile ei, qui se, & sua diuina prouidentia commiserit, qui que sibi persuaerit, Dominum sapissime rebus communibus, non minùs efficaciter quàm medicaminibus singularibus sanitatè corpori præstitisse, aut saltem ei, cui non superperunt, omnino non conuenire, vt sanitatem corporis assequatur, de quo egregiè hæc inquit Dorotheus. At dicet fortasse aliquis: Quo pacto possum non turbati cum vlla mihi res opus est, nec eam accipio? At neq; ex hoc potes quæpiam accusare, vel turbati cum ratione. Nam quicumque re vlla opus habet, nec eam accipit, debet in se ipso dicere: Nouit Christus Dominus quid mihi opus sit, fiat igitur ipse mihi huiusce rei, vel cibi loco. Filij enim Israël manducauerunt mannam in deserto annos quadraginta. Fuitque species vnica manna, vniciuicque facta est, vt illa quibus optabat, & opus habebat. Nam cui acredine & falsedine opus erat, amara, & falsa facta est, cui dulcedine, dulcis, conueniens ad quamlibet commissionè. Sic igitur cum alicui opus fuerit ouo, acceperit tantum oluscula, dicat sibi ipsi, si mihi ouum expedierit, illud potens est Dominus mittere: Vel potentior olera in ouum conuerrere, credatque Deo, quoniam hoc sibi fiet in martyrium. Si quis quoque quiete dignus fuerit, & otio, certus sit facturum cum eo Deum misericordiam prout opus fuerit. Quod si quiete indignus fuerit, vel inutile ei quiescere, si nouum conderet cœlum, nouam terram, requiem nunquam consequeretur. Ex quo fit vt alius præter necessitatem suam plerumque habeat, alius multis egeat, quoniam Deus misericors vniciuicque, necessaria impertuit. Cùmque alij dederit præter necessitatem, huic ostendit humanitatis suæ magnitudinem, docetque vt gratias agat. Cùm autem alteri non præstat, quod videtur necessarium, hac ratione facit, vt ostendat hæc non adeo necessaria esse, doceatque pati, & in cunctis ad superiora prospectum nostrum intendere. Hactenus Dorotheus.]

C Ad hoc etiam incitare debet opus ipsum Domini, quo rebus communibus, aut vilibus sanitatem corporis impertitus est. Isaias ex imperio Domini Ezechiam regem massa sicorum curauit. Et ipse Filius Dei, luto ex sputo ac terra facto visum cæco à natiuitate, lumènque restituit. Quid communius massa sicorum? Quid vilius luto? Sed his communibus & abiectis dat Dominus sanitatem corpori, vt eam à communibus, & consuetis remediis quæramus, & singularia ac inuentu difficilia, aut nimis pretiosa non desideremus. Et (vt nobis videtur) ad suauitatem & prouidentiam Domini pertinebat vim sanandi corporis in rebus communibus, & paratū facilibus collocare, vt quemadmodum corpus sanum, communibus alimentis sustentat; ita & corpus ægrum communibus medicamentis reficeret. Atque adeo homini pauperi non sunt quærenda rara, & pretiosa, vt sanitatem consequatur, quæ sæpe communioribus vtiliora non sunt, sed raritas eorum, & pretiositas facit, vt efficaciora iudicentur. Et esto quod efficaciora essent ad salutem afferendam, cum corporis sanitas, vt optimè anno-

D hac ratione facit, vt ostendat hæc non adeo necessaria esse, doceatque pati, & in cunctis ad superiora prospectum nostrum intendere. Hactenus Dorotheus.]

E

4. Reg.
20. 7.
Ioan. 9.
6.

Basil. su.
pra.

Bern. di.
spu. iust.
cum Deo.

Basilus
reg. 55.
iust. disp.

tavit Basilius, non tam ex medicaminibus, quam ex Dei voluntate dependeat, fidendum est illi, firmiterque sperandum, quod (si oportuerit) eis medicaminibus, quibus ceteri religiosi curantur, salutem dabit, si autem non oportuerit, non tantum pretiosissima medicamenta, verum nec totus mundus ad dandam sanitatem sufficit.

Est etiam aliquid, quod pauper Evangelicus, cum aegrotat, in cibis sumendis obseruet. Nam licet illi pro conditione aegritudinis delicatiores & suauiores esse debeant, tamen quantum fieri possit, in domibus secularium conditi, aut parati non debent. Idque non erit difficile, si praelatus sui muneris non immemor, aegrotis congrua alimenta & delicata praebet, atque in cenobio apte conditi faciat. Pauper autem sicut in medicamentis, ita & in alimentis exquisita non petat, & in indulgentia sui corporis modum teneat, & quod sibi datum fuerit, cum humilitate & gratiarum actione suscipiat. Si aliquid petierit, non iubens ut herus, aut dominus aliorum, sed rogans ut pauper, qui stipem expectat, postulare assuescat. Si sibi negatum fuerit, aut quia domi non inuenitur, aut quia non est pretium, quo ematur (quod rarissime contingit) aut quia non est conueniens aegritudini, quam patitur, ut sibi detur, patienter, & sine ulla ira aut tristitia significatione sustineat. Pauperes namque solent frequenter elemosynam petere, & subinde repullam pati, & si prudentes sint, quia non est debita, didicerunt non indignari. Hoc autem multo accuratius religiosus faciat necesse est, qui sponte se paupertati subdidit, & indigentiae subiecit, ut in perpetuum apud Dominum caelestibus diuitiis afflueret.

Si autem haec tam seuera, sancta paupertas ab aegrotis exigat, qui lecto decumbunt: quid a valetudinariis exigat, qui semper e lecto surgunt, & mitioribus malis premuntur? Hi si paupertatem amant, & sororem eius indigentiam, paulo seuerius secum agent. Quotidie medicum non aduocent, nec importune interrogent, sed semel ex eo sciant quomodo suae fractae valetudini, utcumque subueniant. Multitudinem medicamentorum non sumant, quae sine dubio plus saluti nocent, quam prosunt, sed facili aliquo remedio imbecillitatem tueantur. Haec remedia (quod consilium Bonauenurae est) non in cella omnibus exposita, sed occulta habeant, ne alij apprehensione fallaci ducti, eadem sibi necessaria iudicent, & illis uti incipiant. Quantum fieri poterit, non solum communitatem sequantur, verum & communibus cibis aliorum se accommodent, aut saltem verbis, & operibus, prout fuerit possibile, id sibi gratissimum futurum esse demonstrant. Expertum credat, has modicas inualetudines non tam lautitia ciborum, & esulentorum, quam discretata abstinentia, & mensura in cibo & potu seruata, curari. Ad quod haec notanda sunt quae de Beato Fulgentio in aegritudine constituto, scripta sunt: Ille vero contra spem omnium, misericordiae Dei praeuientis auxilio gubernante, ex infirmitate corporis ampliores vires animi capiebat: & tanto abstinentior quanto debilior, de salute perpetua cogitabat, salutem vero corporis arbitrio Domini committebat, hoc plerisque dicens: Scimus omnes, ex epulis vitam solere seruati, non sanitatem posse conferri. Nam ut sanetur infirmitas, si explenda videtur gula cupiditas, quare infirmantur etiam illi, qui conuiuuiis lautioribus quotidie saginantur? Tolerabat ergo infirmi-

Surius in
Janua-
rio.

tatem patienter, exercebat abstinentiam satis humiliter; Paruum namque putans omne, quod faciebat, de die in diem melior fieri gestiebat. Hoc propositum cordis eius miserator & misericors Deus adiutorio superni iuauaminis fulciens, velociter ei corporalem restituit sanitatem. Haec ibi.] Certe id ipsum saepe vidimus, eos nimirum, qui ob fractam valetudinem lautitias vtuntur, nunquam conualuisse; si vero se ipsos despiciant, & regulam communiem sequantur, & magis abstinentia, quam remediorum copia sibi medeantur, melius habuisse, aut ex toto sanitatem comparasse.

Aliquae etiam sunt inualetudines speciali Dei prouidentia immixtae, ut hominem semper humiliatum teneat, & naturam ferream eius, aut nimis elatam, & superbientem cohibeat: & tunc non medicaminibus, sed patientia opus est, neque ad eas curandas, ars medicinae sufficit. Tunc ergo spiritualis vir pro data sibi inualetudine, aut aegritudine, immensas gratias agit, quia a Domino filius agnoscitur, nam quem diligit, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit.] Et remedia, & medicamenta non requirit. Sic creditur fecisse Iobum, cuius immites morbos, & sermones legimus, curationem vero a remediis naturalibus petitam, non audiuimus; unde de illo inquit Ambrosius: Audiebat haec sanctus Iob, & quasi Athleta fortis in stercore sedens, in tantis vibicibus, & saui doloribus vulneris totum corpus diris perfusus vulneribus, my-

steria loquebatur, nec acquirendis propriae remediis aegritudinis, sed sacris vacabat sermonibus.] Idem iudicium esto, si Dominus ob peccata, morbos atque infirmitates immitat: tunc enim potius in emendanda vita, quam in remediis adhibendis cura ponenda est: Neque enim semper, inquit Basilius, morbi omnes, a natura, aut vitiosa victus ratione, aliusve quibusdam sitis in corpore nostro causis, ad quae vtilem interdum medicorum artem videmus, ortum ducunt: quandoquidem morbi saepe numero veluti quaedam peccatorum flagella sunt, quibus nihil aliud agitur, nisi ut vitam nostram in melius commutemus. Quem enim, inquit, Dominus diligit, castigat; [et ideo multi in vobis infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi: Quod si nosmetipsos diiudicaremus, non vti que iudicaremur: dum iudicamur autem a Domino corripimur, ut non cum mundo damnemur.] Quamobrem, qui eiusmodi sunt, his omissis medicorum auxiliis inuectas sibi acerbitates ferre silentio debent, quandoconque se peccasse animaduertent: atque illum imitari, qui dixit, Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei: nec non vitae suae praua studia emendare, & dignos poenitentiae fructus edere, & verborum Domini illorum meminisse: Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.] Sic ille. Hic igitur paupertatis gradus in hoc positus est, ut vir religiosus, voti paupertatis memor, licet aegritudine prematur, ut pauper se gerat, & parca sibi consulat, & quae non nisi diuites habent, minime exquirat. Si autem haec sibi a praelatis ministrantur, cum gratiarum actione, & cum ea, quae pauperem decet, humilitate suscipiat. Leuium autem inualetudinum non multam sollicitudinem gerat, sed magis contemptu sui & discretata moderatione, quam medicamentis propulsare contendat. Sciat, vitam suam ut vitam mendici despiciabilis, nullius, aut parui momenti esse. quam si duobus, aut tribus annis antea morte concluderet, nihil referre; modo aliis exemplum mortificationis praebet, aut paupertatis, quam professus est, iura nite custodiat.

Hebr. 11.
6.

Ambr. de
interpel-
lat. Da-
uid. cap.
2.

Basilius
pra.

1. Corin-
12. 30.
31. 32.

Mich. 7.
6.

Ierem. 51.

Septimus Gradus Paupertatis: Affectu, & Effectu omnem nuditatem, & incommoditatem exquirere.

CAPVT X.

DER hos sex gradus paupertatis expositos, mens viri iusti ad septimum, ac postremum gradum eos continentem, & omnem huius virtutis perfectionem comprehendentem, ascendit. Hic autem est, cum quis adeo amore paupertatis capitur, ut omnem nuditatem & incommoditatem suat, & ipsa necessitate, & Dei sola voluntate compulsus, ad temporalia accipienda se demittat. Is diuitias & res temporales abiicit, & mille votis (si necesse fuisset) ad eas nunquam possidendas se constringeret, quia ipsas, ut molestas & onerosas, exhorret. Postquam temporalia semel deseruit; nec primam cogitationem ea repetendi, aut iterum possidendi habet, quia affectu ad hæc abiecta affici pertimescit. Superflua & inutilia respuit; quoniam illis se non iuuari, sed onerari, & ligari animaduertit. Necessaria sine immoderato amore aut desiderio accipit, quia non rem, sed vsum eius, & hunc non propter seipsum, sed pro gloria Domini, concupiscit. Indigentiam, & inopiam diligit, quia ad perfectionem ac desideria celestia impelli se sentit. In aegritudinibus, & molestiis corporis, quod sibi ministratum fuerit, sine cura corporis sumit, quoniam diuinæ providentiæ fidit. Huic, inquam, omnia facilia sunt, & prona, quia toto affectu se celestibus iunxit, & a rebus terrenis amore discessit. Quemadmodum enim aliquis ex vilissimo statu ad magnam quandam dignitatem euectus, solet nonnumquam de illa sua vilitate erubescere, & non sine tristitia ad functiones illius miseri status repedare, quas cum primum potest deserit, & obrentum splendorem gloriæque resumit: ita qui delicias spiritus cepit experiri, & dignitatem animæ Deo adherentis agnoscere, vim sibi infert, ut eorum quæ corporis sunt, curam faciat, ut cibum, & potum, & alia utensilia respiciat, & ad hæc inferiora descendat. Illa ergo celestia diligit, ista contemnit: illa suspirat, ista horret; pro illis laborat, ista, quia aliter fieri non potest, sustinet: illa, quantum est possibile, auget; ista, quantum vires corporis ferunt, imminuit. Hinc in gestis sanctorum legis, quosdam eorum, cum facile possent necessaria saltem accipere, famelicos, & siti afflictos, & laceros, & seminudos ambulasse, quia videlicet sola celestia cupierunt, & hæc terrena, quasi compulsi, & rubore posselli, ad sustentandam vitæque vitam corporis, acceptarunt. Hinc necesse est interdum, istos, & alios, qui vitam illorum emulantur, decipere, ut molestia carnis oppressi, aliquam indulgentiam admittant; & obedientia cogere, ut dimisso habitu iam attrito, & discisso, alium, si non nouum, at minus lacrum & decentem induant. Quin & si prælati sunt (quod aliquando vidimus) necesse est, ut in animum inducant, vestem nouam accipere, detritam & lacram, cum in lecto quiescunt, ab illis de nocte suffurari. Ista, & alia similia, quæ lippis oculis videntur stulta, sunt tamen sapientiæ & seruitutis plena, perfecti pauperes faciunt, quia corpori vix necessaria præbere, quam vel in re minima excedere, malunt. Et sicut si homo durus & immisericos, necessitatem pauperis metatur, illi semper, minus quam sint necessaria, ministrat; ita hi in seipos benignè duri, & blandè immisericos

A des, quia pro bonis celestibus terrena commutant, dum sibi necessaria tribuunt, nec ad necessitatem, sed aliquid minus præbere constituunt.

Mirabilis autem non videbitur religiosus ista paupertas, quam Henricus Suso à secularibus diuitias possidentibus, ad paupertatem verò spiritus aspirantibus, postulare non timuit. Nam hæc sunt eius verba in quodam sermone. Potro spiritus paupertatem integram Deo exhibere poteris, & offerre, etiam si terrenas possideas facultates, ac opes, nec quicquam inde patieris impedimenti, quod ad veram Christi imitationem atinet, si tantum tria hæc, quæ subiicio, seruare curaueris, sine quorum obseruatione non est ut id te præstare posse arbitreris. Primum est, ut ex rebus possessis non nisi vitæ necessaria tibi usurpes, haud secus quam si eas ostiatim emendicasses, & quotidie mendicare deberes. Secundum, ut si scias alium quempiam Dei amicum, & hominem bonum, illis indigere, liberam ei facultatem præbere queas, tam libere eis pro sua necessitate vtendi, ac si illius, verè propriæ forent: idque illi non minus cupias, ac faueas, quam tibi ipsi. Tertium, ut si illarum fortasse iacturam facias, ita in animi fundo ac voluntate tranquillus & immotus perseueres, ac si eas nunquam habuisses.] Si hæc à diuitibus exiguntur, ut spiritu pauperes, & Abraham, ac cæterorum iustorum diuitum imitatores esse possint, quid à nobis exigendum est, qui non tantum voluntate sed opere quoque pauperes esse volumus, & non Patriarchas diuites, sed Christum pro nobis effectum pauperem imitamus? Certè tam parè & angustè nobis viuendum esset, ac si interuarissimos homines stipem emendicaretur, neque aliud nobis esset quærendum, nisi pro amore Domini, & desiderio opum celestium, rebus omnibus huius seculi renuciare. Ioannes Baptista forma huius paupertatis factus, & sæculum fugientibus, exemplum nuditatis exhibens, vestem vnicam ex pilis camelorum contextam induebat. Zona pellicea eam corpori aptabat, humi cubabat, cibos, quorum desertum ferax esset, comedebat, solâ aquâ bibeat, & ex mundo ea sola, sine quibus eum mûdus non teneret, acceptabat. In hac autè summa indigentia, & rerû omnium abiectio-

B ne, summa fruebatur tranquillitate, & celestibus illustrationibus abudabat, quia iuxta rerû temporalium contemptum, solet esse lucis diuinæ ac celestium donorum augmentum. Habuit nobilis Christi præcursor in lege gratiæ quamplurimos imitatores, habuit, & huc usque; habet, & usque; ad finem sæculi habebit, qui eius exempla verè & perfectè nuditatis imitentur: Qui ex cibis & indumentis, & reliquis ad vitam mortalem necessariis non ea accipiunt, quibus commodè viuunt, sed ea, quibus vtrumque viuunt, quibus homines apud homines appareant. Sicut autem in nuditate, & in contemptu rerum; ita & in animæ consolationibus, & in celestibus donis præcursori sunt similes. Nam Deus vacuum cordium illorum suis opibus implet, eo ipso quod bona terrena non admittit.

C Duplex est autem radix huius gradus Paupertatis: Altera, sancta fiducia, qua iustus se & sua in sinu diuinæ misericordiæ reiecit: Altera, concupiscentia rerû celestium, quæ mentem erexit, & in magna quadam altitudine sublimauit. Fiducia itaque hanc perfectam paupertatem parit. Nam homo supra communem modum Deo fidens, rerum temporalium meminisse, aut de illis curare erubescit. Et sicut Beata Agatha hac fiducia roborata medicinam corporalem carni suæ nunquam exhibuit, spem suam in illo collocans, qui solo sermone restaurat vniuersa; ita & perfecti pauperes, vix ad temporalia respiciunt, ab

D

E

Suso. ser.
4.

Marci.
6.

Ribaden. lib. 2. v. 10. c. 10.

Matth. 6. 25.

Ephram de fide

Matth. 6. 31. 32.

n. 26.

n. 34.

Matth. 4. 4.

Pf. 71. 25.

eo solo pendere volentes, quem sapissime experti sunt patrem, & in necessitatibus fidelissimum prouisorum. Habemus autem & nos in Beato Patre nostro Ignatio illustrissimum huius fiducia, & ex ea nata perfectæ paupertatis exemplum. Cum enim nauigaturus esset in Syriam, vt loca sancta nostre Redemptionis inuideret, ab amicis, precibus, ac obiectis timoribus, inductus est, vt viatici nomine sex, aut septem aureos acciperet. His autem acceptis ita propria conscientia increpatus est, quasi à certissima in Deum fiducia, & paupertatis amore deflexisset, vt statim tenuem illam stipem pauperibus erogaret, & nudus ad loca illa, vbi Christus nuditatem docuit, ire decreuit. Idem esse solet virorum perfectorum propositum, qui cum audiant dicentem dominum.

A super terram? Quid, inquam, præter te aut gratum in celo, aut iucundum in terra reperiam? Huius autem desiderij effectum statim explicat, dicens, Defecit caro mea, & cor meum: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum:] ac si diceret: Præ desiderio tui, ô Domine, quem vt hæreditatem meam, ac bonum meum concupisco, caro mea defecit, & spiritus meus elanguit. Caro mea defecit, ne diuitias sæculi cupiat, & spiritus meus elanguit, ne honores & dignitates mundi fiat. Qui sanus est, appetentiam cibi, & potus habet, si autem cæperit ægrotare, hunc appetitum deponit, & in horrorem cibi & potus incurret. Cum malè sanus eram, & vitam huius sæculi agebam, bona temporalia, corpus impinguantia, & inanes honores spiritum eludentes desiderabam. Cum autem cæpi amore languere, amore, scilicet Dei, & rerum cælestium, bona corporis, & bona animæ, post corpus euntis, fastidiui. Seruas tu mihi in celo, ô Domine, diuitias immortales, inquit Augustinus, nimirum te ipsum, & ego volui à te in terra, quod habent & impij, quod habent & mali, quod habent & facinorosi, pecuniam, aurum, & argentum, gemmas, familias, quod habent & scelerati multi, quod habent multæ feminae turpes, multi viri turpes. Hæc pro magnò desiderauit à Deo meo supra terram, cum seruet se mihi in celo Deus meus.] Iniquum esset, ista vilia, & nullius pretij, appetere in terra, cum tam sublimia & pretiosa parata sint nobis in celo. Quando ergo viri sancti radio diuinæ lucis donati ista inuisibilia sibi reposita in illa patria cognoscunt, quando illa magno affectu concupiscunt, adeo in terrenorum appetitu deficiunt, vt ea ad solam necessitatem, quin & vix ad necessitatem, habere sustineant. Liberaliter se cælestibus donant, auarè autem se terrenis impendunt: aut potius illa largè & effluenter, ista arctè & strictè sibi tribuunt; quoniam non æstimant possibile rebus terrenis affluere, & cælestibus abundare.

B Nihil aliud in rebus paruis, ac corruptioni obnoxiiis, reperieris incredulus? Hæc ille.] Cum itaque viri perfecti magnam de diuina misericordia fiduciam habeant, non mirum si nullam rerum temporalium, quæ corpori sunt necessaria, curam suscipiant. Sciunt quia [non in solo pane viuit homo sed in omni verbo quod procedit de ore Dei,] quare si panis deficiat, aut indumentum desit, aut aliquid aliud non suppetat, minimè querulantur, immo lætitia perfunduntur, quia occasionem Deo fidendi, & eius prouidentiam experiendi, adesse conspiciunt.

C Possident etiam hi arrham quandam regni cælestis, & æterna, & mentem humanam satiantia suspirant, istudque desiderium æternorum, desideria terrenorum, immo & memoriam eorum, eliminat. Sicut enim augmentum charitatis cupiditates terrenas imminuit, ita desiderium patriæ, & eorum quæ nos ad illam ducunt, concupiscentiam exilij huius, & eorum, quibus abundat, euacuat. Quod cum eò vsque processerit, vt totam mentem possideat, & in statum perfectum euadat, non solum desiderium rerum huius sæculi tollit, verùm & omnia illius molesta & onerosa reddit. Considera sanctum Dauidem præ desiderio diuinæ fruitionis tabescentem, hocque suum desiderium in hunc modum explicantem:

D Quid mihi, ô Domine, est in celo, & a te quid volui

super terram? Quid, inquam, præter te aut gratum in celo, aut iucundum in terra reperiam? Huius autem desiderij effectum statim explicat, dicens, Defecit caro mea, & cor meum: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum:] ac si diceret: Præ desiderio tui, ô Domine, quem vt hæreditatem meam, ac bonum meum concupisco, caro mea defecit, & spiritus meus elanguit. Caro mea defecit, ne diuitias sæculi cupiat, & spiritus meus elanguit, ne honores & dignitates mundi fiat. Qui sanus est, appetentiam cibi, & potus habet, si autem cæperit ægrotare, hunc appetitum deponit, & in horrorem cibi & potus incurret. Cum malè sanus eram, & vitam huius sæculi agebam, bona temporalia, corpus impinguantia, & inanes honores spiritum eludentes desiderabam. Cum autem cæpi amore languere, amore, scilicet Dei, & rerum cælestium, bona corporis, & bona animæ, post corpus euntis, fastidiui. Seruas tu mihi in celo, ô Domine, diuitias immortales, inquit Augustinus, nimirum te ipsum, & ego volui à te in terra, quod habent & impij, quod habent & mali, quod habent & facinorosi, pecuniam, aurum, & argentum, gemmas, familias, quod habent & scelerati multi, quod habent multæ feminae turpes, multi viri turpes. Hæc pro magnò desiderauit à Deo meo supra terram, cum seruet se mihi in celo Deus meus.] Iniquum esset, ista vilia, & nullius pretij, appetere in terra, cum tam sublimia & pretiosa parata sint nobis in celo. Quando ergo viri sancti radio diuinæ lucis donati ista inuisibilia sibi reposita in illa patria cognoscunt, quando illa magno affectu concupiscunt, adeo in terrenorum appetitu deficiunt, vt ea ad solam necessitatem, quin & vix ad necessitatem, habere sustineant. Liberaliter se cælestibus donant, auarè autem se terrenis impendunt: aut potius illa largè & effluenter, ista arctè & strictè sibi tribuunt; quoniam non æstimant possibile rebus terrenis affluere, & cælestibus abundare.

E Mysterium hoc adumbratum est in Iacob, postquam cum angelo luctatus est. Nam descripta illa lucta, sic ait scriptura: Orrusque est ei statim sol postquam transgressus est Phanuel: ipse verò claudicabat pede.] Habet homo luctam cum carne, cum incipit feruire Deo, & motibus carnis contradicit. Luctatur cum mundo, & dæmone, cum in Dei obsequio progreditur, & suggestiones vtriusque abiicit. Luctatur tandem cum Deo, cum in virtute perficitur, & suspiriis ac desiderijs eius amore flammatur. Post hanc luctam, post transitumque ab eo loco, vbi apparuit ei Angelus, ortus est ei sol, quia ex augmento amoris & desiderij solet lux intelligentiæ crescere, & quasi nouus sol iustis mentibus exoriri. Tunc spiritualis Iacob, vir nimirum iustus, solet vno claudicare pede. At quid ista claudicatio allegoricè designet, ex Ambrosio accipe. Hic est homo, inquit, qui luctatus est cum Iacob, & femur eius tetigit: quo tactu Patriarchæ neruus obstupuit: significans, ex eius successione, secundum carnem, se esse venturum, qui subternandus esset à populo Iudæorum in sui corporis passione. Sed quis erit sensus tropologicus nostro proposito accommodatus? Ille quidem, quod visitatio diuina, ac immisum nobis perfectionis desiderium, ad res terrenas nos quasi reddidit infirmos, vt eas minimè desideremus, & vix ad necessitatem sumamus. Iam mysticus Iacob vno pede claudicat, cum altero expeditus, & robustus existat, quia infirma despiciens, ad sublimes gradus perfectionis anhelat.

Ex his itaque duabus radicibus gradus perfectissimus paupertatis affurgit, quo Deo fidentes, & cælestia auidè cupientes, omnia temporalia ita contemnimus,

n. 26.

Aug. 11.

Gen. 31.

Ambr. ad Psa. 43.

mus,

Laur. In-
stin. in li-
gna vite
tract. de
pauper. c.
4.

mus, vt parçissimè necessaria accipiamus. Hicque gra-
dus videtur à Laurentio Iustiniano descriptus, cum
de perfecta omnium rerum nuditate hæc ait: Vis
inopie diuitias addicere: non subiacet demonibus,
non assilit regibus: quia militat Deo, & cum Ange-
lis ipsi calorom regi famulatur; Non habet horrea,
vbi grana reponat: sed talem abundantiam, vt ha-
bere mundum vniuersum nihil existimet: Non ha-
bet, quod thesaurizet in terra, quoniam cuncta, quæ
possidet, recondit celo: Non indiget seruis: magis
autem seruos, possessiones, & cogitationes, quæ re-
gum corda dilaniant, regnum, aurum, & omnia talia,
quemadmodum puerorum ludibria, desideret, & sicut
præteriens vmbra, cuncta quæ omnibus cara videntur,
existimat fore contemptibilia. Quid paupertate
melius? Quid securius? Quid iucundius? Tristentur
omnes, cuncti gemant, formident vniuersi: hæc sem-
per hilatis, semper eodem vultu, eodem animo per-
seuerat. Bonum caeleste præstolatur possidere in celo;
ideo nihil habet quod possit amittere in terra.
Frequenter euolat ad supernam patriam, vbi remun-
eratore suum esse cognoscit. Talis est pulchritudo,
tales thesauri: & hæc est perfectio, & perfectio-
nis celsitudo huius beatæ paupertatis, qua velut
quodam monili se ornant quicumque per internam
dulcedinem, & caelestem contemplationem, Deo
adherere desiderant, & hanc vti fundamentum spi-
ritualis exercitij, & adiutorium exercitationis præci-
puum assument. Nam Deo, mundo corde vacare
penitus non potest, quisquis temporalium rerum
implicatur amore, & distrahitur occupatione. Spiritus
est Deus, & eos, qui eum adorant, oportet in spi-
ritu & veritate adorare: vt vnum cum Deo efficiantur,
quod est proprium quiescentium, quorum vota
suis tendunt, & quorum exercitatio spiritualis
est. Vnde ab omni affectione, & cura per paupertatem
voluntariam omnium temporalium liberi esse
debent, quatenus Deo liberius vacare queant. Huc
vsque ille.

Et sanè hæc est perfecta, & beata paupertas, qua
in homine non ex affectu abnegandi se ipsum, sed
ex amore & desiderio rerum caelestium procedit,
nec locum temporalium amori relinquit. Hanc præ-
figurauit Noë, qui bibens vinum, inebriatus est, &
nudatus in tabernaculo suo. Transiit in literam, &
Christum in mysterio absconditum inspicimus, qui
amore humani generis inebriatus, corporis indu-
menta proiecit, vt in cruce nudus, & omnibus re-
bus spoliatus ascenderet. Eiusque etiam membra
non solum viuæ, sed perfecta consideremus (sunt au-
tem religiosi perfecti) quæ eodem vino amoris occu-
pata, rebus omnibus in tabernaculo religionis spon-
te nudantur, vt caput illud pulcherrimum, cuius sunt
membra, imitentur perfectus. Hanc enim nudita-
tem Patriarchæ Noë aliquid boni portendisse docet
Ambrosius sic scribens: Alia est autem denudatio
animæ, qua velut quandam farcinam corporis abi-
cit, atque exiit, sicut sepulchrum quoddam carnis
effugiens: sepulchrum enim patens est guttur hu-
iusmodi hominum: in quo sepulchro velut attumu-
latur anima, delectationibus, & cupiditatum passio-
nibus onerata diuersis. Exiit igitur se à congestione
terrena, & quasi tertia quædam circumfusa euadit, at-
que effugit, quæcumque se ab omni nudauerit la-
queo passionum, & omnem illam deformem spe-
ciem terrena labis auerterit, vt lucem videat decoris
æterni. Bona hæc est perfectorum ebrietas, quæ eos
à feneratoris educit, & in Christi similitudinem exire
facit, de qua Paulus ait: Et nolite inebriari vino, in
quo est luxuria, sed implemini spiritu sancto. Hoc

Isa. 4.
24.

Genes. 9.
21.

Amb. lib.
de Noë. c.
29.

Ephes. 5.
29.

A spiritu inebriati nudi exultanter incedunt, quia sine
molestia vniuersa terrena relinquunt. Iam quodam-
modo ad statum innocentie redeunt, in quo vter-
que parens noster nudus erat, Adam scilicet, & vxor
eius, & non erubescabant. Nam rebus huius sæculi
spoliari tantum abest quod erubescant, vt nudita-
tem illam pro Christo susceptam, eximiam gloriam
ducant. Erigit ergo se paupertas sensim, atque pau-
latim, & ex paruis initiis ad magnam sublimitatem
procedit, & in altissima quadam perfectione desinit.
Incipit homo diuitias parui pendere, & ad eas nun-
quam possidendas se voto obligare non timet. Ma-
gnam initium est hoc, sed satis exiguum, si cum sa-
stigio, quod exposuimus, conferatur. Deinde votum,
quod emisit, diligenter custodit, & nihil proprium
habere præsumit. Postea dulcedine paupertatis, quæ
prius existimauerat amaram, illectus, non solum
proprium non possidet, verum vsum rerum inuti-
lium abscondit. Postmodum necessarium rerum af-
fectum nimium cohibet, & moderatè eas assumit.
Præterea indigere, & penuriam necessariorum sen-
tire audet, & vmbra etiam abundantie fugit. Tandem sic
dispositus, atque paratus, incipit caelestia
gustare, & diuinorum amore teneri, & tunc mole-
stum putat res terrenas aspicere, & statuit eas quam
parçissimè admittere, & se quantum infirmitas hu-
mana tulerit, à necessario quoque earum vfu denu-
dare. O felix nuditas, qua quodammodo mortali-
tate vit iustus exiit, & quodam gustu patriæ ce-
lestis decoratur. Nam sola caelestia concupiscit, &
aliquam stillam illius, quæ isti destinata est, magni-
tudinis, inuenit, & quæ onerant, & signa sunt cor-
ruptionis, parui pendit.

Genes. 2.
25.

Matth.
19. 27.

De Premio Paupertatis, ac primo, de the-
sauro obtinendo à pauperibus
in celo.

CAPVT II.



A NCTAE paupertatis professores,
vniuersa temporalia propter Chri-
stum dimittentes, & voto se ad nihil
possidendum obligantes, interrogent
D Dominum an ob hoc opus egregium
illos aliquod præmium maneant. Audiant, & dicant
cum Apostolis: Ecce nos reliquimus omnia, &
secuti sumus te, quid ergo erit nobis? Illa voce, ecce,
aliquid magnum, & excellens, & non ab omnibus
factum se fecisse denotent, nam verè tale est, quod
pro amore Christi parrarunt. Nos homines huma-
na contempimus: nos, qui omnia vna nostra vtilitate
metimur, vtilia nobis abiicimus: nos pro futuris,
quæ nunquam vidimus, & non ita mouent; præsen-
tia, quæ mouent, alliciunt, & manibus attrahimus,
& cum gaudio possidebamus, reliquimus: nos
pusilli, & angusto animo, hæc magna, ô Domine
& difficilia pro te fecimus: quam ergo mercedem
condignam accipiemus? Quod præmium daturus es
nobis? Virgeant Dominum, nec timeant quia molesti
erunt ei, nam qui pro obsequio sibi impensio, non ha-
bet, quod referat, timet virgeti; qui autem habet præ-
mium, quod tribuat præstantius obsequio, & habet
voluntatem dandi, vult rogari. Sciscitentur de præ-
mio, nec pudeat illos lucrum aspicere, licet non lu-
cro, sed puro Dei amore ad omnia relinquenda fue-
rint impulsi, quia ille Dominus, cuius est intuenti cor,
bene nouit amorem cordis eorum, & puram ac syn-

ceram intentionem ipsorum, & non, quia ex eo quod ad illos pertinuit, gratis omnia dimiserunt, ipse in animum inducit, vt sine premio maneant, aut ab inspectione premij infiniti valoris abstineant. Conferant, (quia non alienum a voluntate Dei est) opus cum mercede, meritum cum premio, & labore cum requie, & aperte videbunt se paruo pretio rem infiniti valoris emisisse, & terrenis caelestia comparasse. Verè enim dixit Hieronymus: Parua dimisimus, & grandia possidemus, centuplicato saenore Christi promissa redduntur. Et alio loco: O quanta beatitudo pro paruis magna recipere, aeterna pro breuibus, pro morituris semper viuientia, & habere Dominum debitorem. Seuit Isaac in terra illa, inquit scriptura, & inuenit in ipso anno centuplum, benedixitque ei Dominus. Et locupletatus est homo, & ibat proficiens, atque succrescens, donec magnus vehementer effectus est.] Vos autem, qui reliquistis omnia, in terra meliori & feraciori seuisistis. Nam relinquere opes propter Christum, ferere est. Seuisistis, inquam, vestra in manibus Christi, in quibus quinque panes ita multiplicantur, vt quinque millia hominum saturare sufficiant. Seuisistis in corde Dei, in quo quod de se nihil est, vita erat, qui vocat ea quae non sunt, tanquam ea quae sunt. Non erit mirum si immensum plusquam centuplum inueniatis, si copiosam benedictionem accipiatis, si magni vehementer efficiamini, si vltra omnem cogitationem ditimini. Nec quia parua reliquistis, ideo pauca vobis expectanda sunt, nam & agricola parum seminat, & seminans in terra bona, multum colligit; similiter & vos quia in terra bona & optima seminastis, parum id, quod habeatis, non parum, sed multum colligetis. Et licet modicum ac nullius pene valoris esset quod possidebatis, non ideo modicum a vobis dimissum est, siquidem reliquistis possidendi voluntatem. In illo autem modico, cui desiderium nihil habendi adiunctum est, omnia illa dimissa sunt, ad quae se extendere posset habendi voluntas. Haec verò cum sint pene infinita, vos pauperes spiritu, licet parum opere reliqueritis, quia parum possidebatis, multum tamen reliquistis. Quare nunc cum gratiarum actione, & cum vehementi exultatione cordis, premium vobis praeparatum audite.

Triplex premium Euangelicis pauperibus promissum est. Horum primum est thesaurus in caelo. Nam & adolescenti illi de perfectione interroganti dictum est: Vende, quae habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in caelo.] Illi ergo qui fecerunt, quod adolescens ille non fecit: qui sua alacriter vendiderunt, qui pro amore domini pauperibus donauerunt, habituri sunt in premium operis sui thesaurum in caelo. At quis qualisque sit iste thesaurus, inquiramus. Num iusti, qui retentis facultatibus suis mandata seruauerint, non accipient in caelo thesaurum? Num operarij, qui ad excolendam vineam, id est, ad curandam animam suam, vt Theophylactus voluit, vel, ad faciendam iustitiam, & seruanda mandata, vt Irenaeus & Chryostomus interpretantur, vocati sunt, non sunt accepturi singuli singulos denarios? Si ergo omnes praedestinati idem sunt premium accepturi, quare pauperibus Euangelicis magis quam aliis intelligemus thesaurum in caelo fuisse promissum? Omnes quidem iusti eandem mercedem substantia, scilicet vitam aeternam, accipient, denario significatam, quoniam denarius, vt Irenaeus ait, imaginem regis habebat, & iusti hoc habebunt, vt conformes fiant imagini filij Dei, qui reformauit corpus humilitatis nostrae

configuratum corpori claritatis suae. At non eadem mercedis magnitudine donandi sunt, sed quidam minorem, quidam autem maiorem gloriam secundum mensuram meritorum sunt accepturi. Alia enim claritas solis, alia claritas lunae, & alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate: sic erit & resurrectio mortuorum. Qui ergo propter Christum vniuersa dimiserint, tantum gloriae pondus suis operibus mercabuntur, vt comparatione aliorum gloriae, qui solum mandata seruauerint, thesaurus respectu monetae aureae dici iure mereatur. Fallor, & fallo, si non Christus ipse hunc sensum manifeste monstrauit. Nam singulis mandata seruantibus singulos denarios obtulit, consilium vero paupertatis amplectenti thesaurum promisit, vt ostenderet, quod quantum antestat thesaurus denario, tantum gloria seruantis consilia, custodientis mandata solum mercedi praefertur. Hancque magnitudinem praemij signatam esse thesauri nomine Chryostomus professus est. Retributionis praestantiam, inquit, thesaurum appellauit, simul & abundantiam, & stabilitatem, atque incorruptibilitatem praemij, vt fieri poterat, humano verbo significanter exprimens.] Atque adeo, qui fideles in mandatorum custodia inuenti fuerint, ciues erunt illius regni caelestis, & vt ciues decet, tam magnifica ciuitatis amplam hereditatem possidebunt. Sed qui custodiae mandatorum abrenunciationem vniuersorum adiecerint, vt illustres, & primarij viri, non quamlibet hereditatem, sed illam, quae digna sit thesauri & regni nomine, in suum dominium vendicabunt. Hi conuersatione sunt Christo similiores, qui nihil voluit possidere, & in tentatione validiores, quia sciunt indigentiam & inopiam propter Christum pati. Erunt igitur in premio ac remuneratione beatiores. Aequum enim est, vt qui robustius decertauerunt, ampliores mercedem accipiant.

Sed nonne Charitas est caelestis praemij mensura, & qui amplius ardentiusque dilexerit, maiorem gloriam habebit? Quomodo ergo nos thesaurum in caelo, id est, maiorem gloriam pauperibus aedemus ascribere? An soli nos religiosi magni futuri sumus in domo Dei, & reliqui omnes erunt minores, aut ad summum mediocres? Et quid erit de martyribus, qui licet sua pro Christo non dimiserunt, vitam tamen & sanguinem pro fidei attestatione dilapidauerunt? Et quid de Pontificibus, redditus Ecclesiae copiosissimos possidentibus, eos tamen largissimè pauperibus tribuentibus, & Ecclesiam sanctissimè gubernantibus? Et quid de pulcherrimo virginum choro, non iam opes, quae minoris momenti sunt, sed corpora Christo consecrante, & voluptates carnis medullis infixas reuellente? Ne summam caelicolarum dignitatem superbe nobis arrogemus, & alios quali extraneos, & gratis in patriam admissos putemus, nam audiemus profecto, quod de superbentibus Iudaeis dictum est: Dico autem vobis quod multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob, in regno caelorum: filij autem regni,] qui nimirum celliorem locum sibi vendicant, propter superbiam deiciuntur in tenebras exteriores.] Verum quidem est, gloriae magnitudinem charitate metiendam esse, eumque ditiores futurum in regno Dei, qui ad syncetiores & maiorem amorem peruenerit. Verum etiam alia esse opera paupertate illustriora, vt martyrium, vt virginitas, vt Ecclesiae gubernatio, cui ex condito Dei abundantius praemium debeatur. At nos statum statui comparauimus, & abdicatione

Hier. ad Pâmach.

Epistola 150. ad Hedi. q. 1. Gen. 26. 12. 13.

Ioan 5.

Matth. 19. 21.

Theoph. Matth. 20. Iren. lib. 4. c. 70. Chryso. Matth. 20. Matth. 20. 11. Iren. supra. Rom. 8. 29. Philipp. 3. 21.

1. Corint. 2. 41.

Chryso. hom. in Matth.

Matth. 11. 12.

rerum

1432
1431

rerum & consiliorum custodiam, cum largitione eleemosynarum etiam amplissimarum, & cum mandatorum tantum obseruatione contulimus. Et sic certum est, inter status Ecclesie, excepto Episcoporum statu, statum religiosum preestare, & consiliorum obseruantiam mandatis adiectam, custodie mandatorum eminere, & paupertatem Euangelicam omnem bonam diuitiarum administrationem, & eleemosynarum largitionem excellere. Qui hæc præstiterint, magni erunt in celo, qui verò pauperes spiritu & opere fuerint, maiores existant. Illi in honorabili loco, hi in sublimiori, & Christo proxiori sedebunt. Illi denarium, hi verò thesaurum accipient. Et verò si signis & coniecturis transigenda res est, qui omnia sua propter Christum dimittunt, initium non obscurum maioris charitatis præbent, quam illi, qui bona sua rectè administrant, & partem eorum pauperibus erogant. Non ergo iniquum erit, his tanquam magis diligentibus, & opus excellentius facientibus, thesaurum, id est, maiorem gloriam, assignare, & illis tanquam minus amantibus, & minus præstantibus, denarium, id est, minorem gloriam, decernere.

Semper confuevit Dominus facta hominum sibi grata incomprehensibilibus premiis cumulare, & paruitatem nostram magnitudine quadam immense liberalitatis excedere. Abraham iussu Domini reliquit terram suam, non nimis desiderabilem, & pro ea terram feracissimam lacte & melle manantem accepit. Omnem terram, inquit, quam conspicias, tibi dabo, & semini tuo vsque in sempiternum. Iterum imperio etiam Domini filium suum & immolare decreuit, & pro hoc affectu, istaque voluntate, cui tamen opus adiunctum non est, tam innumerabilem multitudinem filiorum adeptus est, vt ab homine numerari non possit. Quia fecisti, inquit, hanc rem; & non pepercisti filio vnigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas caeli, & sicut arenam, quæ est in litore maris. David in corde suo domum ad cultum Domini ædificare disposuit. Huius autem desiderij, quæ fuit merces? Requiem dabo tibi ab omnibus inimicis tuis: prædicique tibi Dominus, quod domum faciat tibi Dominus. Et suscitabo semen tuum post te, & stabiliam thronum eius vsque in sempiternum. Iob sua patienter amisit, & duplicata recepit. Et quod præmium secutum est? Dominus benedixit nouissimis Iob, magis quam principio eius, & addidit omnia quæ fuerant Iob duplicia. Petrus Christum confessus est, Christus quid dar illi? Et ego dico tibi quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & tibi dabo clauas regni caelorum: Si tam largus est Dominus, & tam magnificus in retribuendis tibi impensis obsequiis, quam liberaliter & supra omnem cogitationem nostram obsequia sibi exhibita pauperum Euangelicorum exoluer? Reliquerunt illi terram suam, & cognationem suam; & domum patris sui, quia multi eorum dum in alias terras, & nationes ab Obedientia mittuntur, quasi à patria exulant. Et licet in ea habitent, ita patriæ commodis, & cognatorum solatiis, & domus paternæ obsequiis carent, ac si positi in exteris nationibus exularent. Offerunt illi Deo non tantum voluntate, sed & opere, & quasi vnigenitum, & prædilectum filium, cum iudicium suum, optimam partem mentis suæ prælato per Obedientiam subiiciant. Magnis impensis bonorum operum in cordibus suis Deo domum ædificant, & illi se per castitatem consecrant, & in templo à se ædificato perpetuas laudationes concinunt. Confitentur vita

A & conuersatione sua, Christum esse filium Dei quem iugiter adorant, post quem semper ambulant, à quo Deo dignam mercedem expectant. Quam ergo magnam, quam ineffabilem mercedem accipient! Certè daturus est illis Dominus thesaurum in celo, id est, tam eximiam gloriam, vt gloria communium iustorum comparata, cum hæc vocetur denarius, illa thesaurus dici mereatur. Diciturque de quolibet illorum carmen Dauidis: Gloria, & diuitie in domo eius, & iustitia eius manet in seculum sæculi. Nam diues huius sæculi vmbra gloriæ, & diuitiarum habet, non gloriæ abundantiaque substantiam, cuius fitis habendi nunquam expletur, quem multi ob parvas diuitias non glorificant, sed damnant. Et esto quod habeat diuitias, sæpe tamen caret iustitia, quia superbus est, & per iniuriam à se, aut à progenitoribus factam diuitias comparauit. At perfectus pauper cum ad thesaurum caelestem possidendum ascenderit, ingentes, & veras diuitias possidebit, gloriam solidam ac semper duraturam habebit, & iustitia & sanctitas eius, quam tam ampla diuitiarum possessio non minuet, vsque in æternum perdurabit. Bonum est igitur paupertatem diligere, & experimentum paupertatis per indigentiam habere, vt tam amplum thesaurum in caelesti mansione consequamur.

Psal. 111. 3.

De Iudiciaria Potestate Pauperibus deleganda.

CAPVT XII



AVPERES sæculi non solum diuitias non possident, verum & huius mundi dignitate & altitudine carent, quoniam hæc quæ alas habet non nisi à diuitibus, & potentibus, & fauores potentum habentibus obtinetur. Aut saltem si quis pauper ad dignitatem sæcularem ascendat, statim quasi paupertatem exiit, & splendorem diuitum, & opes, ac magnam familiam habere incipit. Sic Saul, qui pauper erat, & ceu seruus aliquis pauper, aſinas patris quærebat, statim atque ad dignitatem regiam exaltatus est, cepit, agros, & vineas, & oliueta, & diuitias possidere, & famulis ac satellitibus constipari. Sic David de gregibus ouium, ac de postterantes sublimatus ad regnum, habuit domum Domini sui Saul, & vxores domini sui in sinu suo, & diuitias domus Israël, & Iuda, tam ingentemque auri, & argenti, & lapidum pretiosorum copiam filio Salomoni reliquit, vt potuerit templum Deo, quale nunquam tam magnificum erit, ædificare. Eodem modo pauperes Christi, quia externa specie aliorum pauperum sortem habere videntur, non tantum à diuitiis, verum & à dignitatibus sæculi, alieni sunt. Et quædam portio paupertatis est, opes contemnere; altera verò, omnem huius mundi altitudinem aspernari. Ad æquitatem ergo & largitatem Domini pertinerebat, geminam pauperibus parare mercedem, vt nihil ab eis ob amorem ipsius Dei factum sine speciali premio ac mercede peristeret. Diuitiis propter sequelam Christi, & perfectionem, dimissis respondent veræ & semper mansuræ diuitiæ, ac thesaurus pauperibus custoditus in celo. Dignitati verò contemptæ responderet alia dignitas cellior atque sublimior, quam in extremo die generalis discussionis tenebunt. Magnam enim dignitatem his tanquam Apostolorum imitatoribus esse paratam non pauca

scripturæ

Gen. 13. 15.

Gen. 22. 26.

2. Reg. 7. 14. 15.

Iob. 42. 21.

Matth. 16. 13.

C

D

E

Sap. 3. 7.

Luc. 22.
29.1. Cor. 6.
2.Matth.
19. 28.

scripturæ loca significant. Nam Fulgebunt iusti, & tamquam scintillæ in arundineto discurrent, iudicabunt nationes, & dominabuntur populis.] Et, ego dispono vobis, sicut disposuit pater meus regnum, ut edatis, & bibatis super thronos.] Et; an nescitis, quoniam sancti de hoc mundo iudicabunt: & si in vobis iudicabitur mundus, indigni estis, qui de minimis iudicetis? Hæc merces altitudini sæculi contemptæ respondens, nunc à nobis explicanda est, ut constet quàm liberaliter Deus noster cum suis agat, quàmque profusè (si ita loqui fas est) eorum labores persoluat.

Secundum ergo præmium Euangelicis pauperibus destinatum est nobilissima dignitas iudiciariæ potestatis. Apostoli namque, in persona eorum, qui reliquerunt omnia, audierunt à Domino. Amen dico vobis quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis, in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Nec mihi aliqui succenseat quod ex hoc loco velim iudiciariam potestatem religiosorum elicere, in quo non dixit Saluator noster, sedebitis vos, qui reliquistis omnia, sed qui secuti estis me, ut ostenderet aliud esse omnia dimittere, aliud Christum sequi, hancque dignitatem à Domino se sequentibus, non verò omnia relinquentibus, paratam esse. Sed numquid religiosi Christum non sequuntur? An ad similitudinem Apostolorum Christo non adhærent? An Christi mores & virtutes non imitantur? An non omnia relinquunt, eo sine ut Christum ad similitudinem Apostolorum sequantur, & imitentur? In quo, quæso, Apostoli Christum secuti sunt? In hoc sanè quod pauperi pauperes adhæserunt, Virgini Virgines, aut casti, se adiunxerunt: obedientem patri, obediens & ipsi, ac voluntatem eius facientes, in præceptorem ac ducem eligere minimè dubitarunt. Illis ergo propter dimissionem omnium, non solum, qualis fuit in quibusdam philosophis, sed Christi sequela & imitatione perfectam, sedes iudiciaria seruata est. Illi sanè cum Apostolis & Apostolicis viris communes populos duodecim tribus Israel designatos iudicabunt. Illi Christo summo iudici assistent, illi amplissimam dignitatem in regeneratione, id est in extremo die, iudicium obtinebunt.

Sed quonam modo iudicabunt? An per comparisonem quandam; quia videlicet communium iustorum vita conuersationi illorum comparata, minori præmio digna, & impiorum vita cum sanctissima illorum vita collata, digna æternis cruciatibus apparebit? An quia erunt in iudicio illo tamquam consiliarij, & assessores, qui simul cum Christo iudice sententiam in alios latam pronuntiant, & iustam illam esse proclamabunt? An quia erunt velut ministri ac præcones, qui quid summus iudex decreuerit publicè exponant, & coram illa frequentissima conuentione præmia bonorum, & pœnas iniquorum aperiant? An demum quia erunt testes, qui impios acculent, ex eo quod in peccatis perseuerauerunt & vitam suam mutare noluerunt? His omnibus modis tum Apostolos, tum Euangelicos pauperes vniuersis rebus nuntium mittentes, esse iudicatos nihil prohibet existimare. Iudices erunt illi secundum comparisonem quamdam auctore Hieronymo, quia si regina Austri surget in iudicio cum generatione illius

Hier. ib.
Matth. 12.
42. 41.

A temporis, & condemnabit eam, quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis. Et, si viri Niniitæ surgent etiam, & condemnabunt generationem illam, quia penitentiam egerunt in prædicatione Ionæ, quam ludari à meliore præceptore edocti facere recularunt: Quando magis Spiritu & actione pauperes vita sua damnabunt eos qui aliena rapuerunt, & propter diuitias perituras iustitiam & veritatem repudiauerunt? Iudices erunt ut assessores, quod sentit Simon de Cassia, quia ut in impios sententiam proferant, & eos dignissimos gehenna pronuntient, auctoritatem accipient. Dicentque cum illo quarto Angelo Apocalypseo: Iustus es Domine, qui es, & qui eras sanctus, qui hæc iudicasti, quia sanguinem Sanctorum & Prophetarum effuderunt, & sanguinem deditis eis bibere, digni enim sunt.] Iudices erunt velut præcones, qui zelo iustitiæ Dei incitati, sententiam iustissimam supremi iudicis pronuntiant: Salus, inquit, & gloria, & virtus Deo nostro est, quia vera, & iusta iudicia sunt eius, qui iudicabit de meretricie magna,] hoc est, de iniquorum multitudine, [quæ corripit terram in prostitutione sua.] Iudices erunt, quia testes accusantes eos, qui nec ad clamores doctrinæ ipsorum, nec ad exempla vitæ respicere, nec mandata seruare voluerunt. Nolite putare, ait Dominus, quia ego accusaturus sim vos apud patrem, est qui acculat vos Moyses.] Si Moyses accusaturus est eos, qui doctrinæ ab ipso traditæ aures minimè accommodauerunt, quidni accusent Euangelici pauperes, illos qui propter diuitias, & sæculi illecebras, bona cælestia perdidit, & voces efficacissimis exemplis confirmatas contemnere ausi sunt? Iudices tandem erunt, quia conscientiarum occulta, & iudicij diuini æquitatem, & retributionum qualitates manifestè cognoscent, & hanc suam noticiam velut sententiam quamdam iudicandis intinabunt, & pendent. Vnde Richardus Victorinus ait, Apostolicos viros iudicandorum quemlibet iudicare, erit danda sententiæ rationem oculis eorum ingerere. Ecce iudicium dignitatem illis paratam, qui rebus mundi propter Christum renuntiauerint, & in perfectionis itinere, se obsequio eius adixerint.

D Sed quia hæc dignitas tanta est, ut neque in cor hominis caderet, si Deus eam pauperibus non promississet, operæ pretium erit, hanc esse sensum verborum Christi, paratam auctoritate fulcire. Habemus enim non paucos eorum, qui hanc iudiciariam potestatem Apostolis delatam ad illos extendant, quorum tanta fuit felicitas, ut in rerum abrenuntiatione & vitæ sanctæ conuersione, Apostolos imitentur. Incipiamus autem à recentioribus & vsque ad summam antiquitatem tractationem producamus, ut constet quàm fixis radicibus nitatur ista sententia. Antoninus ait, religiosos perfectos venturos cum Christo in fine mundi, non iudicandos, sed iudicatos, iuxta illud, quod scriptum est in Iob: Deus non saluat impios, & iudicium pauperibus tribuit.] Non, inquam, saluabit impios, nec ab æterna damnatione eripiet, immo sententia pauperum perfectorum ore prolata, inferni carceribus deputabit. Hunc autem Iobi sensum sanctus hic Doctor ex Gregorio desumpsit. Iudicium, inquit, pauperibus tribuit, quia quanto huic mundo magna humilitate despecti sunt, tanto tunc acceptis sedibus maiore culmine potestatis excrefcunt.

E

Sanctus

Sim. de
Cassi. lib.
9. c. 47.Apo. 19.
2.Apo. 19.
1. 2.Ionn. 5.
45.Richard.
tract. de
iudiciari-
potest.Ant. 3. p.
est. 16. c.
10. 55. 8.

Iob. 3. 6. 6.

Greg. 26.
mer. c. 20.

Bonaue. dif. 47. q. 1.

Sanctus Bonauentura, & ipse Doctor egregius, sic eandem sententiam affirmat: Iudex in aliquo dicitur duplici ratione. Aut quia ipsius est ferre sententiam, aut quia assistit ferenti, secundum quod aliqui iudices assistunt, & quodammodo consulunt iudici principali. Qui ergo fert sententiam, ille est iudex principalis, & talis est solus Christus, sicut patet in Matthæo: ubi exprimitur quomodo feret sententiam. Qui autem assistunt iudici, etiam nomen & dignitatem iudicantis sortiuntur, & tales sunt viri perfecti, qui ultra opera necessitatis præceptorum, supererogauerunt perfectionem consiliorum; tales autem sunt Apostoli principaliter, tanquam capita, & eorum perfecti imitatores.

Matth. 25.

D. Thom. in 4. d. 47. q. ar. 2. g.

Beatus Thomas Aquinas Ecclesie lumen verissimum, eidem doctrinae subscribit, sic enim ait: Paupertati debetur iudiciaria potestas specialiter propter tria. Primo, ratione congruitatis, quia voluntaria paupertas est eorum, qui omnibus quæ mundi sunt, contempserunt, soli Christo inhererent, & ideo non est eis aliquid, quod eorum iudicium à iustitia deflectat, unde idonei ad iudicandum redduntur, quasi veritatem iustitiæ præ omnibus diligentes. Secundo, per modum meriti, quia humilitati respondet exaltatio pro merito. Inter omnia autem, quæ hominem in hoc mundo despectum faciunt, præcipuum est paupertas; unde & pauperibus excellentia iudiciaria potestatis promittitur, ut sic, qui se propter Christum humiliat, exaltet. Tertio, quia paupertas disponit ad prædictum modum iudicandi.

Ansel. epist. 10.

Post hunc sequatur Anselmus in quadam epistola, sic scribens: Ipse quippe consulit ad perfectionem nitentibus, ut omnia relinquat, & sequatur. Ipse omnia relinquentibus & sequentibus se promittit, quia sedebunt cum illo in iudicio, iudicantes tribus duodecim Israël.

Psal. 140. 6.

Bern. ser. 8. in Psal. Qui habitabit.

Prodeat nunc Bernardus, ac de hac re dicat nobis quid sentiat. Illud quidem Psalmi: Absorpti sunt iuncti petrae iudices eorum, de pauperibus voluntarius intelligens sic scribit: Absorpti planè in affectum iustitiæ, & petrae soliditatem, cui iuncti sunt imitantes, iuncti, inquit, petrae, quam profecto solam vi sequerentur, cetera omnia reliquerunt.

Matth. 19. 28.

1. Cor. 6. 17.

Psal. 72. 28.

Nempe hoc est quod interroganti Petro quidnam accepturi essent, petra ipsa respondit: Cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël. Hæc quoque Propheta pronuncians, ait: Dominus ad iudicium veniet cum senioribus populi sui. Tu ne putes flexibile quippiam inueniendum in iudicibus iunctis petrae? Qui adhæret Deo, Apostolus ait, vnus spiritus est: qui & petra iungitur, lapidis vnus. Ad quod sanè Propheta non immerito suspirans, Mihi, inquit, adhære Deo bonum est.

Hebr. 10. 31.

Ita ergo absorpti sunt iuncti petrae iudices eorum. O familiaritatis gratiam, o honoris culmen, o fiducia privilegium, o prerogatiuum securitatis perfectæ! Quid enim tam pauendum, quid tam plenum anxietatis, & vehementissimæ sollicitudini excogitari potest, quam iudicandum astare illi tam terribili tribunalis, & incertam adhuc expectare sub tam districto iudice sententiam? Horrendum est, ait Apostolus, incidere in manus Dei viventis. Iudicemur interim, fratres, & terribile illam expectationem præsentis studeamus declinare iudicio. Non indicabit Deus bis in idipsum. Sanè ut quorundam peccata, sic & quorundam studia bona manifesta sunt præcedentia ad iudicium: ut illi quidem non expectantes sententiam, proprio statim pondere criminum in tartara deficiant: isti verò e regione

A paratas sibi sedes totalibetate spiritus sine vlla cõtatione conscendant. Felix paupertas voluntaria omnia relinquentium, & sequentium te Domine Iesu.

At alio loco idem sanctus pater Bernardus sic scribit: Pro confusione vestra duplici, & rubore pars vestra laudabitur. Propterea enim in terra, ista duplicia possidebunt, & lætitia sempiterna erit in Christo. In exilio vobis afflictio duplex, humilitatis vtique & laboris, sed consolamini, & nolite deficere, quoniam in terra vestra, terra vtique viventium, duplex vos nihilominus remuneratio manet sublimitatis, & delectationis. In sedibus enim quies imperturbata est, in iudicio dignitatis eminentia commendatur. Quis verò secularis honor excogitari potest, qui non prorsus in tantæ sublimitatis comparatione vilescat? Non vnus siquidem ciuitatis aut populi, seu regionis vnus, sed vniuersitatis iudices habent præsidere cum Christo. Nec solum homines, sed & ipsos angelos iudicabunt, qui parentem ad modicum vaporem præsentis gloriæ dedignant, & exufflantes, improperium Christi vniuersis præferunt titulis dignitatum. Nolite timere pusillus grex, quoniam complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Diffinitum est concilium, quod non euacuabitur, propositum immutabile persequeratur. Denique iurauit Dominus, & non pœnitebit eum. Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos iudicantes.

B Quis gloriosus? Iudicent nunc, & præiudicent superbia filij, cū rege suo sedeat, qui sibi latera Aquilonis elegit. Exaltentur, & leuentur sicut cedri Libani. Transibimus, & ecce non erunt. Et post pauca. Hæc enim & perfectorum gloria singularis, inter ipsos etiam eminere fideles, & ceteris quoque saluandis præeminere autoritate iudiciariæ potestatis, ut iuxta illud de Psalmo sedeat supra domum Dauid. Quid istud miseræ est, quod ad verbum tantæ promissionis negligentia humana dormitat? Popule meus, ait Dominus, quid tibi debui facere & non feci?

C Post Bernardum audiamus venerabilem Bedam sic concionantem: Sciendum namque est, omnes, qui ad exemplum Apostolorum sua reliquerunt omnia, & secuti sunt Christum, iudices cum eo venturos, sicut etiam omne mortalium genus esse iudicandum. Quia enim duodenario sepe numero solet in scripturis vniuersitas designari, per duodecim sedes Apostolorum, omnium nuncupatas indicantium; & per duodecim tribus Israël, vniuersitas eorum, qui iudicandi sunt, ostenditur.

Accedat nunc Gregorius, & propositis quatuor hominum generibus, vnus eorum, qui iudicantur, & pereunt, ut improbi fideles, alterum eorum, qui non iudicantur, & pereunt, ut omnes infideles. Quid de alijs duobus sentiat, nunc exponat. Ex electorum verò parte alij iudicantur, & regnant, qui vitæ maculas lacrymis tergunt; qui mala præcedentia factis sequentibus redimentes, quidquid inicitu aliquando fecerunt, ab oculis iudicis elemosynarum superdatione cooperiunt. Quibus iudex veniens in dextera consistentibus dicit: Esuriui, & dedistis mihi manducare, &c. Quibus præmitus dicens: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Alij autem non iudicantur, & regnant: qui etiam præcepta legis perfectione virtutum transcendunt, qui nequam hoc solum, quod cunctis diuina lex præcipit, implere contenti sunt, sed præstantiori desi-

D derio

E

1438

Bern. de clu. Et ce nos reliqui. etc.

Luca 12. 32.

Psal. 109. 4. Matth. 19. 28.

Bedam ser. de S. Benedic. etc.

Greg. 27. mor. c. 20.

Matth. 25. 42. 34.

Matth. 19. 28.

Isa. 3. 14.

Prov. 3. 1. 23.

*Isa. 60. 22
Cyrill. 4.
5. in Isa.
ad c. 60.*

Matth. 19. 28.

*Aug. 20.
de civit.
c. 20.*

*1. Cor. 6.
Aug. epi.
89. 9. 4.*

*Hier. epi.
28.*

*Nazian.
orat. 1. in
Iulianū.*

derio plus exhibere appetunt. Quibus Dominica voce dicitur: Vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me, cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suae, sedebitis & vos super duodecim thronos, iudicantes duodecim tribus Israël.] Et de quibus Propheta ait: Dominus ad iudicium veniet, cum senioribus populi sui.] Et de quibus Salomon, cum de sancta Ecclesia sponso loqueretur, intulit dicens: Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum senatoribus terrae.] Hi itaque in extremo iudicio non iudicantur, & regnant: quia cum auctore suo etiam iudices veniunt.

Veniat nunc Cyrillus Alexandrinus, & dicat quomodo intelligat illud Isaiae, Minimus erit in mille, & paruulus in gentem fortissimam.] Nunc, inquit, id est, in hoc seculo, occultata est gloria Sanctorum, & si factum mundi respicias, minimi esse videntur, qui illustrem non habent gloriam. Sed rursus ubi illuxerit de caelo Christus, tunc etiam, qui habitus est minimus, & paucissimus, crescet in magnam gentem. Praeficietur enim populis, & imperitabit multis, utpote in hac vita confecto cursu laudabili. Quod videre est ex his quae dixit Christus. Nam affatus Apostolis, inquit: Cum Filius hominis sedebit in throno gloriae suae, tunc etiam sedebitis vos in duodecim thronis, iudicantes duodecim tribus Israël.]

Augustinus Cyrillo paulò vetustior, in eandem sententiam cum aliis Patribus manifestè conspirat. Nam quodam loco ait, non duodecim tantum, sed plurimos esse cum Christo iudicatos. Eius verba sunt: Nec quoniam super duodecim sedes sessuros esse ait, duodecim solos homines cum ipso iudicatos putare debemus. Duodenario quippe numero, vniuersa quaedam significata est iudicantium multitudo, propter duas partes numeri septenarij, quo significatur plerumque vniuersitas. Quae duae partes, id est, tria & quatuor, altera per alteram multiplicata, duodecim faciunt. Nam & quatuor ter, & tria quater duodecim sunt: & si qua alia huius duodenarij numeri, quae ad hoc valeat, ratio reperitur. Alioquin quoniam in locum Iudae traditoris Apostolum Mathiam legimus ordinatum, Apostolus Paulus, qui plus illis omnibus laboravit, ubi ad iudicandum sedeat, non habebit: qui profectò cum aliis Sanctis ad numerum iudicum se pertinere demonstrat, cum dicit: Nescitis quia Angelos iudicabimus.] Alio verò loco, qui sint isti multi explicat, dicens. Ambulent itaque perfectionis viam, venditis omnibus suis rebus, & misericorditer erogatis. Sed si verè pauperes Christi sunt, & non sibi, sed Christo colligunt, infirmiora eius membra quare puniunt, antequam sedes iudicarias acceperint: Si enim tales erunt, qualibus Dominus dicit, [sedebitis super duodecim sedes, iudicantes duodecim tribus Israël:] & de quibus Apostolus dicit: [Nescitis quoniam Angelos iudicabitis?] praeparant potius non criminosos, sed religiosos diuites recipere in tabernacula aeterna, à quibus amici facti sunt de mammona iniquitatis.

Hieronymus eiusdem veritatis assertor est, cuius haec est oratio: Scipsum Deo offerre, Christianorum & Apostolorum est, qui duo cum vidua paupertatis suae in gazophylacium aera mittentes, totum censum, quem habuerant, Domino tradiderunt, & merentur audire: [Sedebitis super duodecim solia, iudicantes duodecim tribus Israël.] Necnon & Gregorius Nazianzenus: nam multis religiosorum laudibus expositis, hanc etiam adiungit, quòd ipsorum sit in extremo die sedere super thronos.

De Origene certum est in eandem abiisse sententiam, sic enim ait: Qui ergo secuti sunt Christum non quaedam, sed omnia relinquentes, [sedebunt super duodecim thronos, iudicantes duodecim tribus Israël.] Et infra. Quod autem dicit, [sedebitis & vos super duodecim thronos, iudicantes duodecim tribus Israël] dicitur ad Apostolos, & ad eos, qui Apostolicam imitati sunt vitam, iudicatos Israël, qui generosiores toto mundo habentur. Si quis ergo reliquerit omnia, & secutus fuerit Iesum, quae Petro promissa sunt, & ipse recipiet. Haec ille.] Qui cum non doctrinam à se inuentam, sed à maioribus traditam scribere videatur, certum apparet, eam ab Apostolis processisse, ac omnem antiquitatem in huius veritatis assensum conspirasse.

Hi autem iudices hominum cum Christo sessuri non sunt tot numero, quot prima fronte videntur. Quia non omnes, qui votum paupertatis emisserunt, iudicaturi sunt mundum, sed qui votum emissum fideliter impleverunt. Absurdum enim esset putare, quòd imperfecti religiosi, qui vix in negotio paupertatis absque graui peccato conuersati sunt, aut qui sub pauperum velamine sua commoda quaeferunt, & delicatius ac abundantius, quam in saeculo victitarunt, sint ad iudicariam potestatem admittendi, & cum Apostolis & viris Apostolicis numerandi. Non emissi voti, sed impletionis eius ratio habebitur in illo die, & non status perfectionis perfectione vacuus, sed vita perfecta statum ipsum implens, & ornans ad tantae dignitatis meritum computabitur. Optimèque Antoninus non omnibus religiosi, sed religiosi perfecti hanc praerogatiuam iudicandi alios, & Christo affidendi, supra concessit, eodemque sensu reliqui Patres intelligendi sunt. Igitur qui in statu perfecto perfectus non fuit, immò nec mediocriter profecit, immò nec aliquam indigentiam pro Christo experiri voluit, & more diuitum laurè & opiparè manducauit, & delicatè in his, quae ad vestitum, & cellam, & reliqua atinent, se gessit, iudicariae potestati vale dicat, & si ad eam se ascensurum cogitauerit, seipsum irideat. Haec potestas illi paupertati promissa est, quae secum Christi sequelam inuoluit, & vsque ad eius imitationem procedit. Illi autem non sequuntur, neque imitantur illum (nisi valde à longè sicut communes fideles) qui in statu paupertatis positi, nihil ferè paupertatis nisi nomen habent, aut si aliquid habent, inuiti, & querulosi, & murmuratioe pleni habent, & quotiescumque possunt, ab incommodis paupertatis se subtrahunt. Quomodo ergo ad summam dignitatem perfecti & seruidis praeparatam aspirare audebunt? Satis liberaliter cum illis agetur, si à dextris cum bonis Christianis constituantur, & post poenas de sua repudiate datas, iudicati saluentur. Neque in hoc supra modum nos tepidos spiritu & imperfectos deprimimus, quoniam communes fideles, si legem seruauerint, increpatione digni non sunt, cum nihil aliud seruandum promiserint. At nos, qui ultra legem polliciti sumus consilia seruare, & rebus abrenuntiare terrenis, qua reprehensione digni erimus, si conuersatione nostra pares solum aliis fidelibus inueniamur? Certè inter illos locum in iudicio non sine rubore tenebimus, cum celsiorem locum statui nostro paratum potuerimus obtinere, & fratres nostros, quia seruide & perfectè vixerunt, inter iudices sedere videamus.

Pauperes itaque Euangelici ceteros iudicabunt, si ad perfectionem ascenderint, & vitam habuerint, paupertati, quam sunt professi, conformem. Decet enim, ut humiles exaltentur, iuxta illud:

*Origenes
tra. 9. in
Matth.*

Luc. 18. Qui se humiliat exaltabitur. Hi vero sūt veri humi-
 les, qui ex desipientia sua, rebus terrenis carere vol-
 unt, & indigentiam ac penuriam pro Christo sustine-
 re magnum ducunt. Decet vt contententes tempo-
 ralia, & non diligentes munera, tāquam mente libe-
 ri & expediti ad iudicandum vocentur. Hi autē sunt
 perfecti viri paupertatē amantes, qui vtilitatibus hu-
 ius seculi affectu non adhæserunt, sed mente ad res
 cælestes appetendas euolarunt. Decet vt sapientes
 examinent ignorātes, & perfecti imperfectos disci-
 pulant. Qui verō paupertatem, quam profitentur, ser-
 uant, & virtutibus magnis ornant, sapientes sunt, qui-
 bus cælestia sapiunt, & terreftria desipiunt. Equum
 est proinde, vt inter iudices sedes obtineant, & cum
 Christo ad iudicandum procedant. Hinc autē con-
 stat, iudices in extremo iudicio futuros esse paucio-
 res, quā aliquis poterat cogitare. Si verō adhuc mul-
 ti videntur, quia innumerabilis est multitudo religio-
 sorum perfectorum (præsertim si alij sancti essent iu-
 dicaturi, quod aliqui existimant) qui ista secum cogi-
 tat, sciat ad tantam multitudinem iudicandorum, iu-
 dices conuenienti numero esse admittendos. Sicut
 enim in curia regis Hispaniæ sunt quinquaginta sena-
 tores plus minuste ad negotia regni tractanda: & hi
 per se sumpti multi videntur, at non multi sed suffi-
 cientes sunt, considerato numero, & grauitate nego-
 tiorum occurrentium, ac multitudine litigantium: Ita
 ad iudicium extremū regis cælestis omnes religiosi
 perfecti, & si qui sunt alij ex sanctis, assumēdi sunt iu-
 dices, qui licet sint quamplurimi, tamen ad innume-
 rabilem multitudinem iudicandorum, tum fidelium,
 tum infidelium, comparati, non tam multi appare-
 bunt. Hoc ergo præmium Euangelicæ paupertatis de-
 latum est, quod pauperes perfecti aliorum sint iudi-
 ces. Certè præmium mirabile, atque magnificum, vt
 vbi reges contremiscunt, vbi imperatores, & magna-
 tes huius seculi erubescunt, vbi nobiles & diuites, &
 potētes nō sine metu stant, expectātes sententiā abso-
 lutionis, aut dānationis sue, pauperes securi & alacres
 sedent, & aduersus eos, qui se despexerūt, sententiā fe-
 riāt. Quis non stupet ad huius honoris cōsiderationē.
 Quis non admiratur diuinā in pauperes & humiles
 liberalitatē? Quis nō paupertatē arcē fidelitatis, & cu-
 stodiat, vt, Deo donāte, ad tātam dignitatē ascendat?

De cœmplo in hac vita, & in futura Pauperibus tribuēdo.
 CAPVT XIII.

Luc. 6. 38. **Q**UAM plena veritatis est illa Saluatoris
 sententiā. [Mensuram bonā, & confertā, &
 coagitatam, & supereffluentem dabunt, in
 sinū vestrū.] Dat ille pauperibus suis mensurā bonam
 quia nihil ab eis gestum, aut propter perfectionē di-
 missum, sine iusto præmio relinquet. Dat mensuram
 confertā, quia magnitudinē premij sui, quasi premet,
 atq; cōstringet, vt illud capiat angustia cordis huma-
 ni. Dat mensurā coagitatam, quia præmio præmium,
 & mercede mercedē adauget. Dat mensurā superes-
 fluentem, quia multiplex præmium suum nō in ani-
 ma se cōtinet, sed ad corpus quoq; descendit. Mēsurā
 bona pauperibus data & thesaurus illis paratus in
 cœlo. Quid enim iustus quāquam quod illi, qui propter
 Christū thesaurum in terra dimiserunt, thesaurum in
 cœlo recipiant? Mēsurā cōferta, est iudiciaria pote-
 stas, qua gentes iudicabūt, quæ profectō quasi coan-
 gustanda est, & premeuda, vt pusilla mens hominis
 illam capiat. Mēsurā coagitata, & supereffluens, est
 multiplicatio quasi eorum bonorum, quæ pauperes
 dimiserunt, in futura vita, & in hac vita reddenda.
 Nam hæc bona coagitantur cum in immensum au-
 gentur, & supereffluunt cum ab alia vita in hanc de-

A rritantur, & ab anima ad corpus veniunt. Adduxit
 Dominus religiosos ad terram bonam, & fructum
 suum simorum feracem, in qua a se relicta, aucta, &
 centuplam multiplicata reperiunt. Hæc est conuer-
 satio religiosa, ad quam illud Davidis potest aptari:
 Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam:
 propter nomen tuum Domine viuificabis me in æ-
 quitate tua. Verè, Domine, non deduxit me spiritus
 hominis in terram hanc, nam iste sibi relictus, potius
 solet a tuo obsequio diuellere, & ad secularia trahe-
 re. Non deduxit me spiritus angeli, qui potest quidē
 bonum suadere, non tamen persuadere, nec volun-
 tatem sine gratia tua ad boni consensum inclinare.
 Sed deduxit me spiritus tuus, qui illaso manente li-
 bero arbitrio meo, instinctibus & auxilijs suis potens
 est corda hominum conuertere quocumq; voluerit.
 Spiritus autem iste tuus, spiritus sanctus est: nam idē
 propheta ait: Spiritum sanctum tuum ne auferas a
 me. Spiritus vitæ est, cum scriptum sit: Spiritus vitæ
 erat in totis. Spiritus Domini mei est, & [requiescet
 super eum spiritus Domini.] Spiritus veritatis est, sub
 quo nomine fuit antea promissus: [Cum autem ve-
 nerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veri-
 tatem.] Sed hîc vocetur spiritus tuus bonus, quoniā
 hæc vocatio, hæc deductio mea opus est infinite bo-
 nitatis, omnia alia comprehendens. Spiritus bonus,
 & sanctus tuus vocauit me, quia ad sanctitatem vo-
 cauit. Spiritus bonus, & vitæ, excitauit me, quoniā
 peccati morte ad gratiæ vitam excitauit me. Spiritus
 bonus Domini deduxit me, quoniā vt fidelis essem
 seruus, adduxit. Spiritus bonus & verus erudiuit me,
 quoniā ad falsitatem odio habendam, & veritatē
 diligendam erudiuit. Hic spiritus tuus bonus, san-
 ctus, viuus, & verus, eduxit me à terra, in qua eram,
 ad terram, ad quam nondum perueneram.

Eram ego in hac lacrymarum valle, in terra, de
 qua scriptum est: Terra erat inanis, & vacua, vel, vt
 alius transtulit, inuisibilis, & incomposita. Non ne
 inanis, siquidem rebus suis numquam nos fatiat? Nō
 ne vacua, quandoquidem discessit ab ea bonitas, &
 veritas? Non ne inuisibilis, & obscura fallacijs, dolis
 & tehens? In qua diligimur, sed propter lucrū, ho-
 noramur exterius, sed in corde contemnimur, lau-
 damur præsentēs, & vituperijs absentes afflicimur.
 Nonne incomposita, atq; deformis, peccatorum
 deformitate, & fuligine: quia [non est veritas, & non
 est misericordia, & non est scientia Dei in terra:] Nō
 ne bonorum vacua est illa terra, cuius memoriam
 faciens Ieremias, ait: Aspexi terram, & ecce vacua
 erat, & nihili: & cælos, & non erat lux in eis? Vidi
 montes, & ecce mouebantur, & omnes colles con-
 turbati sunt. Intuitus sum, & non erat homo, & o-
 mne volatile cœli recessit. Virtutum vacua est, nihil
 in ea reperitur, quod animo satisfaciatur: aliorū rectores
 orbati luce, & sapientia ad regendum, & potentes,
 stabilitate & constantia priuati sunt. Inter multos ho-
 mines vix vnum inuenimus hominem, qui scilicet
 ratione, & non passione se gubernat: Inter multos
 sapientes vix vnus sapiens, qui cogitatione ac deside-
 rio ad cælestia se efferat. Ab hac misera terra euoca-
 sti me domine, & deduxisti me in terram rectam, in
 statum hunc rectitudinis, ad omnem virtutem ex-
 hortantem, omnem viam sanctitatis docentem. In
 terram rectam, quæ recta, & sine vllis ambagibus, rē-
 dit in cœlum. In terram rectam, quæ tota imitatio
 quædam est iustitiæ tuæ, quam homo factus, verbo &
 exemplo monstrasti. In terram rectam, quæ omnem
 obliquitatem vitiorum fugit, omnem circuitatē pec-
 catorū auersatur, & eorum animorum, de quibus di-
 ctū est, [Recti diligunt te,] serax est. In hac autē terra

Psal. 161.

Psal. 50.
13.
Ezech. 1.
20.
Istaie 11. 2.
Ionn. 16.
13.

Osee 4. 1.

Ionn. 4. 23

Can. 13



Aug. ad
Phil. 142.

recta constitutu propter nomen tuu uiuificabis me. Quae enim mea opera, inquit Augustinus, sine tuo adiutorio computantur? Vnde impetrare dignusque essem deduci a spiritu tuo in terram recta? Quae opera mea, vel quae merita mea? nisi quod propter te metiplum, & propter bonitatem tua deduxisti me, ut gratia tua, & iustitia tua uiuificares me? Deduxisti me in terram hanc, ut gratia uiuificatum donis tuis cumulares, & centuplu pro his, quae tui causa in terra non recta reliqueram, redderes. Deduxisti me, ut mensura bonam, & conferam, centupli adiectione in caelis mihi parata, coagitatam faceres, & ad hanc vitam redundantem, etiam superfluentem efficeres.

Matt. 19.
28.

Iam ergo tertium hoc praemium pauperibus promissu explicemus. Promissus est illis thesaurus; unde quae habes, & habebis thesaurum in caelo: ecce primum praemium. Promissa est illis iudiciaria potestas: [sedebitis super thronos:] ecce secundum praemium. Promissum est illis centuplum eoru, quae dimiserant. Nam [omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxore, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplu accipiet, & vitam aeterna possidebit.] O magnifica, & Deo dignam promissionem, o cogitatam, & superfluentem mensuram, qua Dominus accepta persoluit! O largitatem incomparabilem, qua Deus prius temporalia dedit, & postea pro temporalibus dimisit eadem temporalia centuplicata restituit, & aeterna temporalibus adijcit! Sed iam quod qualeque sit hoc centuplum vestigemus.

Rom. 8.
18.

Dabitur pauperibus euangelicis centuplum in patria caelesti, id est, gloria quaedam singularis, quae omnes res ab illis dimissas, & possibiles dimitti, in infinitu excedat. Dabitur illis Deus ipse, ut sit ipsis loco patris, & matris, & fratrum, & sororum, & domoru, & agrorum, & reliquorum omnium, quae Dei causa reliquerant. Qui cum quamlibet harum rerum, & vniuersas simul iunctas infinite superet, centuplum, & infinites quam centuplum illis confertur. Idque indicant illa Pauli verba: Non sunt codignae passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae reuelabitur in nobis. Et illa, quae de imaginibus horum pauperum, id est, de sacerdotibus legis veteris scripta sunt. Non erit eis haereditas; & possessionem non dabitis eis in Israel, ego enim possessio eorum. Dominus est pars haereditatis eoru. Funeris ceciderunt illis in praeclearis: etenim haereditas illorum praecleara est illis. Cum autem Dominus sit omnium iustorum merces, quid singulare habent pauperes Deum possidentes, ut centuplum illis attributum dicatur? Certè quod in eo, & de eo, ac de omnibus bonis a se dimissis in infinitum gaudebunt. Sentient in eo amorem patris, dilectionem matris, beneuolentiam fratrum, tenacitatem sororum, necessitudinem amicorum, & loco diuisarum ab ipsis contemptarum abundantiam omnium bonoru. Dicentque, Parua, & nullius valoris ad breue tempus dimissimus, & infinita ad aeternitatem nobis donata sunt. Et hunc sensum tangit Hieronymus dicens: Qui carnalia pro Salvatore dimiserit, spiritualia recipiet, quae comparatione, & merito sui ita erunt, quasi si paruo numero cetenarius numerus comparetur. Haec est mensura coagitata, quae ita copiam meritorum excedit, ut excessum istu, nec lingua eloqui, nec mens cogitare sufficiat.

Exech
44. 28.

Psalm. 6

Hierony.

Marc. 10
29.

Est etiam mensura superfluentem, quia hoc centuplum non solum in alia vita paratum pauperibus, sed & in hac vita tributum est: Nam Marcus ait: Nemo est, qui reliquerit domos, aut fratres (&c.) propter

me, & propter Euangelium, qui non accipiat centies tantum nunc in tempore hoc. At quod est centuplum in hac vita redditum? Primum, est ipse Christus, quem pauperes possident, qui illis est instar omnium: & in eo patrem & matrem, & fratres, & sorores, & reliqua habent: iuxta illud: Qui fecerit voluntatem patris mei, qui in caelis est, ipse meus frater, & soror, & mater est. Secundò, sunt omnia creata, quae, ut Paulus ait, Diligentibus Deum, & illis praecipue, qui in tantum diligunt, ut propter eum cuncta relinquat [cooperantur in bonum.] Tertio, centuplum est gaudium & spiritualis exultatio, quam de paupertate concipimus. Plus enim nos in penuria & indigentia, quam ditites in abundantia gaudemus: & plus nos panis cibarius, & alimentum insipidum quam ditites sumilia, & cibi saues, delectant. De quo haec Cassianus. Habes ergo istam centupli retributionem in magnitudine meriti, & in discretione tati incomparabilis qualitatis expressam. Neque enim si pro aris, aut feris, aut vilioris cuiusquam metalli certo pondere, tantumdem ponderis, sed auti quispiam reddidisset, non etiam amplius quam centuplum restituisse videretur: ita cum pro contemptu voluptatum atque affectuum terrenorum, spirituale gaudium, & preciosissimam charitatis iocunditatem reperatur, etiam si ipse sit numerus, centuplo tamen haec maior atque praeclearior est. Et Bernardus. Centuplum, inquit, accipiet, & vitam aeternam possidebit: illud enim, in via, haec, in patria est. Immo haec, patria, illud, via. Illud consolatio praesentis laboris, haec, futura felicitatis consummatio est. Sic nimirum & operatio huius saeculi solet cibus in opere, merces in fine dari. Sic militibus & stipendia ministratur pro necessitate laboris, & nouissimè donatiu maius erogatur pro quantitate laboris. Sic & filijs Israel donec terram promissionis intrarent, in deserto mana non defuit: & ab Ecclesia post questum regni caelestis aduentu, quotidianus panis petitur in oratione, quam ipse Saluator instituit. Habes hanc duplicem promissionem, & in propheta euidenter expressam, ubi ait: Reddet Deus mercedem laborum sanctorum suorum, & deducet eos in viam mirabili: ipsa est enim via testimonioru Domini, in qua propheta alius sicut in omnibus diuitijs delectatum se esse testatur. Et post pauca: An non centuplum habet omnium, qui impletur spiritu Sancto, qui Christu habet in pectore? Nisi quod ioge plusquam centuplum est uisitato paraclisi spiritus & praesentia Christi. Quam magna, inquit, multitudo dulcedinis tuae Domine, quam abscondisti in metibus te, perfecisti eis, qui sperant in te. Vides quomodo memoriam abundantiae suauitatis huius eructet anima sancta, quomodo exprimere gestiens uerba multiplicet. Quam magna, inquit, multitudo. Hoc ergo centuplum adoptio filiorum est, libertas & primitiae spiritus, deliciae Charitatis, gloria conscientiae, regnum Dei, quod intra nos est, non utique, esca, vel potus, sed iustitia, & pax, & gaudium in spiritu Sancto. Gaudium, sane non modò in spe gloriae, sed etiam in tribulationibus. Hic est ignis, quem voluit Christus vehementer accendi. Haec virtus ex alto, quae Andream fecit amplecti crucem; Laurentium, ridere carnificem; Stephanum pro lapidantibus flectere genua ad orationem. Haec illa pax, quam suis reliquit Christus, quando dedit & suam. Siquidem, donum & pax est electis Dei: pax utique praesentis, & donum futurae. Et Petrus Damianus: Quid est centuplum istud nisi consolationes, uisitationesque, & primitiae Spiritus, qui super mel dulcis est, nisi testimoniu conscientiae nostrae, nisi laeta & iucundissima expectatio iustorum, nisi memoria abun-

Matt. 22.
49.
Rom. 8.
28.

Cassian.
collat. 14.
216.

Bern. de
clamat.
sup. ecce
nostre
100.

10p. 10.
17.

Psalm. 30.
20.

suauita

1443
1444

suauitatis Dei, & magna verè multitudo dulcedinis eius, quam nec experitis nec esse est dicere, nec in expertis vllis verbis exprimere quisquam potest. Quarto, centuplum est vita spiritualis perfectio, quae pauperibus Euangelicis datur. Nam qui sua ex delictio perfectionis relinquunt, à Deo mirabiliter iuuantur, vt desideria sua impleant, & perfectione, quam optabant, obtineant. Merito autem perfectio centuplum appellatur, quoniam minimus perfectionis gradus non centies, sed quasi infinites omnes res temporales excedit. Et de hoc centuplo, inquit Gregorius, Denarius numerus per semetipsum multiplicatus in centenarium surgit. Vnde rectè per centenarium magna perfectio designatur, sicut de electis dicitur: Omnis, qui relinquit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam aeternam possidebit. Neque etenim sanctus quisque, ideo terrena deserit, vt hac possideat in hoc mundo multiplicius posse, quia quisquis terreno studio terram relinquit, non relinquit, sed appetit. Nec qui vnam uxorem deserit, centum recepturus est, sed per centenarium numerum perfectio designatur. Quia quisquis pro Dei nomine temporalia atque terrena contemnit, & hic perfectionem mentis recipit, vt iam ea non appetat, quae contemnit, & in sequenti saeculo ad aeternae vitae gloriam peruenit. Centies itaque recipit, quod dedit, qui perfectionis spiritum accipiens, terrenis non indiget, etiam si haec non habeat.

Quinto tandem centuplum rerum, quas dimisimus, sunt ipsaemet res plusquam centuplicatae, quae pauperibus tribuuntur. Quod quomodo fiat, pulcherrimè Cassianus & Euthymius exponunt. Cassianus sic ait: Centupla namque fratrum parentum recipit quantitate, quisquis patris vnus, vel matris, seu filij, pro Christi nomine, charitate contempta, omnium, quae Christo deseruiunt, delectationem sincerissimam transtulit, pro vno scilicet tot inueniens patres fratresque seruentiore ac praestantiore sibi affectione deuinctos. Multiplicata etiam domorum atque agrorum possessione ditabitur, quisquis vna domo pro Christi dilectione reiecta, innumera monasteriorum habitacula tanquam propria possidebit, in quacumque orbis parte velut in suae domus iure succedens. Quomodo enim non centuplum, & si Domini nostri sententiae superadiici aliquid fas est, plusquam centuplum recipit, qui decem vel viginti seruatorum ministeria infida & coacticia derelinquens, tot ingenuorum ac nobilium spontaneo fulcitur obsequio? Quod ita esse etiam vestris experimentis probare potuissis, qui singulis patribus, matribusque ac domibus derelictis, qualibet mundi partem fueritis ingressi, patres, matres fratresque; innumeros, domos quoque & agros seruosque fidelissimos, absque vlllo sollicitudinis labore conquiritis, qui vos vt proprios dominos summis suscipiunt, amplectuntur, fouent, venerantur officii. Euthymius verò sic: Sed quomodo variè multiplicatam accipiet quis hanc retributionem in praesenti saeculo? Quomodo? sicut acceperunt Apostoli, & Martyres, caeterique omnes iusti. Vide enim quod omnium fidelium domus sibi habebant apertas: fratres etiam, & sorores parauerunt, omnes sanctos, & sanctas: patres verò omnes iustos colentes, ipsorumque cura habentes ac erga ipsos compassionis affectu tactos: nam haec sunt propria patris; matres quoque omnes pari modo se habentes: uxores verò omnes ministrantes, subservientes, ac curantes eos: haec siquidem vxoris sunt opera: filios praeterea omnes discipulos: Ad

A haec omnes fidelium agros in sua potestate habebant: quodque omnium est maxime admirabile, omnia haec habebant cum persecutionibus, prout addidit Marcus, hoc est, à fidei inimicis persecutionem sustinentes. Haec ille. Attidet autem maxime quod Marcus addidit. Nemo est, qui reliquerit domum, aut fratres, & caetera, qui non accipiat centies tantum in tempore hoc eam perfectionibus, quod sine prauidicio aliorum intellectum à patribus signatorum, sic ego intelligerem, vt etiam hoc additamento magnitudinem & veritatem huius centupli Dominus vellet ostendere. Et sit sensus: Persecutio, & afflictio, solet gaudium & notitiam boni possessi minuire, & oculum considerationis haurire, ne sua aestimet bona, turbare. At hoc centuplum, quod ego daturus sum, bona propter me dimittentibus, tam verum & solidum, & magnum est, vt ipsi inter persecutiones positi, se centuplum eorum, quae dimiserunt, percepisse cognoscant.

B O igitur diues, & beata paupertas quae tantum & tam multiplex praemium expectas! Relinquit vilissimum obolum in terra (nihil enim habet amplius ad caelestia collata omnis terrena substantia) & recipis thesaurum in caelo. Das vnum, quod si non dedisses, post paululum amississes, & restituntur tibi centies tantum quae numquam amittes. Modico pretio caelestia emis, & breui labore aeterna lucraris. Euacuasti cor vt Christus ipse illud occuparet, & velut rex magnus, & profusus in dando illud suis donis implet. Abieciisti creatura, non ita vt ipsis careres, sed ne vt heri tibi dominarentur, sed magis vt aeternae feruissent. Abieciisti non vt de eorum absentia tristareris, sed vt curis & sollicitudinibus exonerata gauderes. Libellum repudij desiderio ditescendi obtulisti, vt animum perfectum sponsum duceres, & sanctitate fruereis. Nuntium remisisti vni patri, & innumeri insurrexerunt affectu paterno tua curantes: vni aut duobus fratribus, & innumerabiles astiterunt, qui te fidelissimorum fratrum affectu diligenter, vni domo, aut agro, & omnia bona temporalia hoc omnis subierunt, vt tibi in necessitatibus prouiderent.

C Verissimè enim scripsit Bernardus: Non astant pauperes, quoniam audiunt, vestri est regnum caelorum, se sola possidere caelestia, quia ea sola audiunt in promissione, possident & terrena, & quidem tanquam nihil habentes, sed omnia possidentes. Non mendicantes vt miseri, sed vt domini possidentes, eo pro certo magis domini, quo minus cupidi. Denique fidei homini totus mundus diuitiarum est. Totus planè, quia tam aduersa quam prospera ipsius, aequè seruiunt ei, & cooperantur in bonum. Quod si o paupertas felix, tibi è latere non nihil abiectionis in hac vita adiungitur, non te pudeat, quia in futuro saeculo honor vtilissimus adestabitur. Ibi potentes huius saeculi, stabunt, tu sedebis; illi pauebunt, tu lataberis; illi absolutionis, aut damnationis sententia expectabunt, tu eam; quasi assilrix Domini pronuntiabis. Iudicent illi in hoc mundo, pro suo arbitratu omnia disponant, te tuosque cultores irrideant, atque contemnant, quia post modicum è manibus eorum flagello potestatis erepto, coram te tamquam rei constituentur, & non suam voluntatem, sed Domini expletam videbunt, & irrisores sancto sum ridebuntur. Sat scio haec tibi sufficiunt, quae sapiens es, & oculos splendidos habes, quibus futura consideres, sed tota dignitas tua nequaquam in futuro seruetur, immo & non continendus honor in hoc saeculo tibi cõfetur. Illi enim ipsi, qui se de diuitiis tactant, te feliciorum existimant, tuam sortem & feueriorem tranquillitorem cogitant, & tuis precibus se suaque coram

Gregor. hom. 18. in Ezechiel.

Mat. 19. 29.

Cassian. col. 24. c. 26.

Euthym. Mat. 19.

Bern. serm. 21. Cant.



mandant. Tu ab illis in temporalibus subleuaris, illi à te in spiritualibus pendent, tibi famulantur, tibi amore Dei suas administrant facultates, & si sapiunt ex eo quòd gratis sua recipias, sibi à te præstitum magnum beneficium putant. Non ergo solum in vita futura sed & in præsentis præmium honoris habes, quod omnes diuites huius sæculi suis laboribus mercari non possunt.

Et quidem mense Iulio primo proximo huius anni millesimi sexcentissimi decimi, in quo ista scribitur, facta est à Domino in hac vrbe Limensi mirabilis quædam præmij paupertatis ostensio. Tertio enim iduum eiusdem mensis defunctus est in conventu minorum Frater Franciscus Solanus sexagenarius, sacerdos & concionator in australi Hispaniæ parte, quæ Batica dicitur, in Castro Montella natus, vir sanctitate conspicuus, & dignus Seraphici Francisci filius. Is quadraginta annis, & eo amplius vitam religiosam professus est, in qua nõ segniter se gessit, sed viam spiritus mira velocitate cucurrit. Erat humillimus, magnus contemptor sui, honorum & dignitatum irritor, supra modum patiens, mansuetus, obediens, & ultra quàm dici potest, castus & purus. Igne fraternæ charitatis ardebat, ægrotòlque frequenter visitabat, & suavissimis verbis consolabatur: Zelo domus Domini & desiderio salutis animarum vrebatur, cuius conciones secundùm sapientiam huius sæculi parum compositæ & minus eloquentes, auditores vehementer à vitis retrahabant, & ad bonam frugem inuitabant. Diligebat secretum, ac secum commorari, nisi gloria Dei aliud deposceret, rebus omnibus præponebat, ibique assiduis precibus & diuinorù contemplationi vacans, non raro extases & raptus patiebatur. Hisque epulis assuetus sæpe noctes in somnes in suppedaneo summi altaris apud Dominum in eucharistia delitescens traducebat, & manu lyræ paruulam pulsans, & ore psalmos canens, & corde cælestia delibans pernoctabat. Cùm autem has diuitias verissimas possideret, non multum si paupertatis amator esset, & omnem penuriam, propter Christum, ac indigentiam diligeret, cui adeo fuit addictus vt pauperimo habitu, & tunica contentus, vix necessaria imbecillitati & infirmo corpulculo sustineret accipere, cui etiam hostis factus, seu (vt melius dicam) fidelissimus amicus effectus, maluit ipsum affligendo, & vigiliis, ieiuniis, & omni genere asperitatum affligendo diligere, quàm pusillanimitè fouendo, & mollior tractando, perdere. Et vt finiam (quia eius gesta, & miracula nõnulla quæ narrantur, mihi que comperta non sunt, minimè narrare constitui) vita ipsius non aliud extitit, quàm sanctissima quædam & utilissima actio, aut feruentissima, & cælestibus consolationibus & illustrationibus refertissima oratio.

Die igitur proximè sequenti dormitionis eius, in quo corpus terræ mandatum fuit, talis occurfus, & concursus vitorum, ac faminarum, ad eius exequias celebrandas confuit, qualem in hoc regno (si bene memini) ego numquam videram. Omnes tum maiores, tum minores non inuitati, non vocati, venerunt (quis enim ad funus pauperuli cuiusdam omnem ciuitatè vocaret?) nisi quòd iam fama defunctionis eius percrebnerat, & multi ad eum, vt sanctum visitandum, & pedes eius osculandos, propeauerant. Accurrerunt quoque cunctæ religiose familie, & ex qualibet carù non sex, aut octo (vt moris est) sed quæ plurimi religiosi, credo nutu Dei, non solum vt funebria pro dignitate fierent, sed vt tali spectaculo corda multorum (quod factum est) ad desiderium vitæ perfectioris accenderentur. Accurri &

ego cùm ià corpus huius viri venerabilis ad Ecclesiam efferebatur, & dum vix præ multitudine, & quodam fratre minore præeunte, eoq; commoditatem ingrediendi procurante ad funus intrarem, fautor, spectaculi nouitate motus obstupui. Nã Dominus Ioannes Mendozius Luna, princeps clarissimus, Marchio de Mòtes claros, huiusq; amplissimi regni prorex, & Dominus Doctor Bartholomæus Lupus à Guerezo Archiepiscopus Limensis, & totius huius regni Peruenis Metropolitæ, primi feretrum pauperuli deferebant, deinde post illos religionù prælati, & alij viri litteris & autoritate celebres, quibus melicè indignum adiunxi. Statimq; mihi interius se obtulit illud Davidis: Nimis honorati sunt amici tui Deus. Et item illud: Sic honorabitur, quemcumq; voluerit rex honorare. Tandem nõ sine magna hominum vtriusq; sexus pressura ad Ecclesiam peruenimus, feretru depositimus, & potuimus animæ pure habitaculum sacco cooperatum aspicerè. Manus, & pedes venerabilis illius corporis deuotè osculatus sũ, quãq; partes non inueni rigidas, sed molles atque tractabiles, nõ frigidas, sed moderatè calidas, vt non tã cadauer, quod pridie animæ deseruerat, quàm hominem quiescentem, & tranquillè dormientem videret attingere. Multi corpus circundabamus, non tristes sed læti, non animam eius Domino commendantes, de qua spiritus in vnoquoq; dicebat, quia requieuerat in sinu Domini à laboribus suis, sed Deum ipsum in sanctis suis mirabilem laudibus efferentes. Nullus ibi teter odor, nullus cadaueris horror, nullũ corruptionis signum sentiebatur, sed mentis ferentitas, cordis suauitas & quasi ex societate eius mira tranquillitas. Clarissimus Prorex dum officia diuina celebrari cæperunt, puluinum solij sui ex serico auròq; contextu defuncti capiti supponi iussit, & puluinar saccum cui caput incumberebat, loco aurei, & sericei in solio præcepit apponi, & sic toto tẽpore diuinorum officiorum manuit. Iudicauit ille (vt credo, & vt verum est) se sacco illo multo magis, quàm auro & serico regiam potestatem ostentasse, qui dũ serico incubuit, Prorex mortalis principis; dũ verò saccum honorauit, princeps piissimus, & Christianissimus, & Christi seruus ac seruorũ eius venerorũ apparuit. Tandẽ officio funebri concione ex tẽpore habita, & missarum solemnibus peractis ad sepeliendum corpus conuenimus; & vix illud ad locum sepulturæ destinatum (quod tamen prope erat subtus gradus summi altaris) deferre valuimus, turbis nos impediens, & cõprimens, & huc illucque iactantibus, vt pedes defuncti oscularentur, vt rosariis & linteis tangerent, & vt particulam aliquam sacci eius quo humabatur, abscederent. At Proregis satellicio adiuri vicimus, & paulo post meridiem illius diei Beato Bonauenturæ sacro venerabile corpus feruũ Dei, arca lignea inclusum terræ mandatum est. Eadem autem nocte iussu Proregis effusum fuit, vt pictor quidam diligens ad eius similitudinem effigiem exprimeret, ex cuius ore accepi, defunctum dormienti similem, & quasi suauis odore perfusum fuisse reperit. Anima eius (vt piè credimus) apud Dominum magna gloria perfruitur, corpus apud suos eum honorè seruetur, & bonam ac laudabilem memoriã eius (vt speramus) numquam vorax tempus excedet.

Quis in hac historia tam recentis, & ante oculos nostros gesta cumulatam paupertatis mercedem non videat? Quis ineffabilia præmia contemptus sæculi, & vitæ perfectæ non animaduertat? Nãm si ex his quæ Deo inspirante & hanc nobilissimam ciuitatem mouente, facta sunt, præmiũ huius pauperuli

licet

P. 132.
17.
Ester. 6.
9.

licet colligere, possidet ille thesaurum in caelo, quem proceres huius saeculi magnos terra thesauros possidentes ita suspiciunt. Iudex est ipse ex his qui cum Christo iudicaturi sunt mundum, quem in extremo die iudices, & potentes mundi, gratum habere procurant. Centuplum datum est illi in patria caelesti, cuius sacum despicabilem tam frequens populus non ab alio (vt creditur) quam à Deo motus ita veneratur, & colit. Centuplum quoque nobis videntibus in hoc mundo recepit, qui quod reges & imperatores vix obtinent, vt principum, & episcoporum humeris ad sepulchrum deferantur, solo Deo corda praedicatorum & clarissimorum virorum tangente; & nulla humana persuasione interueniente consecutus est. Sed iam in fine huius historiae tum saeculares, tum religiosos alloquamur, vt ex ea aliquem fructum decerpant. Illi Hieronymum audiant, vitam cuiusdam pauperis euangelici, nempe Pauli eremita, ita laudantem: Libet in fine opusculi eos interrogare qui sua patrimonium ignorant, qui domos marmoribus vestiunt, qui vno filo villarum insuunt praedia, huic seni nudo quid vniquam defuit? Vos gemma bibitis, ille naturae concavis manibus fatiscit. Vos in tunicis aurum textis, ille ne vilissimum quidem indumentum habuit mancipij vestri. Sed e contrario illi quidem pauperulo paradus patet, vos auratos gehenna sulcipiet, ille vestem Christi, nudus licet, tamen seruaui, vos vestiri sericis, indumentum Christi perdidistis. Franciscus hic vilissimo puluere cooperatus iacet resurrecturus in gloriam: vos operosa saxi sepulcra premunt, cum vestris opibus arsumos. Parcite, quae so, vobis parcite: saltem diuitiis quas amatis. Cur & mortuos vestros auratis obuoluitis vestibus? Cur ambitio inter luctus lacrymarumq; non cessat? An cadauera diuiti, nisi in serico putrescere nesciunt? Religiosi vero, qui vt spirituales viri ab alio moneri non indigent, se ipsos moneant, & praemia sibi parata animaduertant. Haec merces tam ampla, tamque magnifica, quae ex sancta morte huius fratris elucet, non statui nudo, sed statui religioso operibus sanctis commendato, promissa est. Si eam appetunt, si ad eam peruenire gestiunt, contemptum saeculi, humilitatem, spiritum orationis, obedientiam, animarum zelum, paupertatem, & erga Deum charitatem imitentur. Statum perfectionis habere, & ad perfectionem non propeate, non praemium, sed penam mereatur. Humilitatem, & paupertatem, & elongationem à saeculo profiteri, & ex alia parte primas sedes ac dignitates ambire, indigentiam & penuriam, vt pestem auerfari, & in res saeculares incumbere, non laudem sed vituperationem, & infamiam expectat. Merces vitam mercede dignam exigit, praemium, conuersationem sanctam quae mercedi sit apta, requirit. Relinquamus ergo corde iam saeculum, quod statu reliquimus; paupertatis experimenta, scilicet nuditatem & penuriam rerum, amemus; Obedientiam & humilitatem, & reliquas virtutes quaeramus, vt quod cupimus obtineamus, & triplici praemio pauperum coronemur.

Hieron. in vita Pauli eremita

A posito votum à se emissum grauius obseruare. Cooperemur ergo desideriis eius, & aliqua media illi proponamus, quibus ipse cooperabitur gratiae Dei, & ad paupertatem habendam iuuabitur.

Si ergo vis o religiose vir in te spiritum paupertatis promouere, rebus tibi ad usum concessis nequaquam vt propriis vtaris. Ille vtitur rebus ac si essent propriae, ac si dominium earum haberet, qui nimio affectu illas cupit, & possidet, qui eas à praelato non vt per modum elemosynae datas, sed vt debitas accipit; qui ipsas sine obtenta facultate dat alteri, aut commodat licet sint exiguae: qui tandem sine vlla cura conuersationis & diuturnitatis vestium, & librorum, & similibus, in usum assumit. Hunc itaque usum hominis proprietarij cauebis, si res tibi ad usum administratas, affectu gratitudinis & humilitatis, vt pauperem decet, de manu praelati & ministrorum acceperis, si absque facultate superioris, nemini dederis, nec commodaueris; si curiosè & diligenter eas ne infumantur, quantum fieri possit, aut deterantur, seruaeris. Sed illud praecipuum est, ne huiusmodi res nimio erga eas affectu possideantur, sed cum quadam sancta libertate, & quasi cum contemptu ipsarum nostris vibus applicentur. Idque monuit Paulus dicens: Fratres, tempus breue est, reliquum est vt qui habent uxores, tamquam non habentes sint, & qui flent, tamquam non flentes, & qui gaudent, tamquam non gaudentes, & qui emunt, tamquam non possidentes, & qui vtuntur hoc mundo, tamquam non vtantur. Nihil enim est vti hoc mundo, ac si eo non vtremur, nisi res ipsius sine immoderato amore, & sine affectu minus ordinato praesumere. Quem sensum indicauit Augustinus ad Bonifacium scribens: Ipse, inquit, Dominus te exaudiet, vt interiores & inuisibiles hostes, id est, ipsas cupiditates inuisibiliter, & spiritualiter, vincas, & sic vtaris hoc mundo tamquam non vtens, vt ex bonis eius bona facias, non malus fias. Profecto in rebus paupertatis (vt iam monuimus) non tam rerum vtus, quam affectus erga res considerandus est; illeque est paupertate perfectior, qui quamuis pluribus vtatur, ad illas tamen minus afficitur. Quod ex gestis magni doctoris Ecclesiae Gregorij potest agnoscì, cuius liberalitatem quidam monachus, elemosynaque cognoscens, & suam paupertatem sancti Pontificis misericordiae praeferebat, seque ad eundem cum illo gradum gloriae peruenturum, ingemiscens, voce diuina est vehementer increpitus, dicente sibi: Quando diuitem non possessio facit diuitiarum, sed cupido, cur audes paupertatem tuam Gregorij diuitiis comparare? qui magis illam cartam, quam habes, quotidie palpando, nullique conferendo, diligere comprobatis, quam ille, qui tantas diuitias non amando, sed contemnendo, cunctisque liberaliter largiendo, dispergit? Simile exemplum de sancto Basilio narratur, & in vtroque perspicitur, Euangelicam paupertatem non tam in opere quam in affectu, & rerum temporalium contemptu, consistere. Ita ergo res huius saeculi habere nitaris, sicut statua quaedam, quae si ab aliquo vestibus operiatur, vestes non amat; nec etiam sensum tristitiae concipit, si vestibus spoliatur. Sic perfecti pauperes res accipiunt ad usum, quia aliter fieri non potest, tam sine affectu, & adhaesione ad illas, ac si non acciperent, & rebus carent, & indigentiam sustinent; ac si rebus non indigerent.

Si ad aliquam rem immoderate te affici senseris, vt ad cellam, ad mensam, ad librum, aut aliquid huiusmodi, cura te ipsum vincere, & illud (si fieri possit) omnino relinquere, aut si non possit, quia pe-

1. Cor. 7. 29. 30. 31

Aug. epist. ad Bonif.

Ioan. diacon. lib. 2. vita Gregor. c. 60.

De Medijs ad assequendam Paupertatem.
CAPUT XIV.

VIR religiosus, & suae salutis audius, qui hac, quae diximus, secum meditatus est, desiderium ingens (vt opinor) paupertatis seruandae concepit, & si in ea habitus minus circumspectè se gessit, sanctum pudorem suae negligentiae & tepiditatis acquisiuit. Optat iam ipse ad mentem redire, & pro amore Dei, ac pro tam ineffabili praemio sibi pro-



nitus necessarium est, pro alio simili, accepta à praelato facultate, commutare. Sic enim & vltus manet, & affectus immoderatus discedit, & animus magnam libertatem & puritatem acquirit. Beatus sanctus Dorotheus vitæ spiritualis magister egregius, sic sanctissimum iuuenem Dositheum discipulum in spiritu paupertatis exercuit. Nam cum is ad gladium quendam sentiret se affici, idque magistro patefaceret, præcepit Dorotheus illi ne vnquam gladium illum vel manu contingeret. Sic etiam religiosi commorantes in monasterio Beati Gregorij, priusquam esset Pontifex, paupertatis spiritui consuluerunt, de quibus post enarratum illum euentum Iustini monachi proprietarij, quem supra reulimus, hæc sanctus Doctor scribit: Sed fratres omnes ex eadem eius sententia conturbati cæperunt singuli extrema quæque, & vilia, & quæ eis habere regulariter semper licuerat, ad medium proferre, vehementerque formidare, ne quid apud eos esset, vnde reprehendi potuissent. Idem tandem documentum ex dictis Domini facile possumus elicere, dicens: Si autem manus tua vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum & proice abs te. Nomine enim manus, & pedis, vt Chrysostomus, & Beda, & reliqui doctores interpretantur, amici aut cognati intelligendi sunt: quos, si nobis sint offendiculo, debemus abicere. Si autem hi à nobis separandi sunt, quando nocuumentum animæ inferunt, licet sint vitæ nostræ pernecessarij, quanto magis minutia ista, quarum nobis concessus est vltus, penitus abscindenda, si moderatè affectum ad se trahunt, & munditiem nostræ mentis inficiant?

Superior etiam, si mos religiose familie ferat, debet hæc religiosorum desiderio fauere; & res ad vltum illis concessas interdum permutare, tum vt minimum in se ipsis erga eas affectum deprehendant, tum vt paupertatem, quam profitentur, & diligunt, actione discant, & res non vt proprias sed vt commodatas retineant. Optime dixit Augustinus: Plurimumque aliqua, cum adfunt nobis, putamus quod non ea diligamus, sed cum abesse cæperint, inuenimus qui simus. Hoc enim sine amore nostro aderat, quod sine dolore discedit. Videtur ergo vincere cum vincatur, qui superando ad id peruenit, quod cum dolore amissurus est: vincit, cum vinci videatur, quisquis cedendo ad id peruenit, quod non amittit inuitus. Quem ergo delectat libertas, ab amore mutabilium rerum liber esse appetat, & quem regnare delectat, vni omnium regnatori Deo subditus hæreat. Hæc cum ita sint, merito praelati de suorum profectu solliciti, debent nonnumquam eis concessa tollere, interdum pro alijs commutare, vt ipsi sic probati, affectus suos calleant, & quantum in contemptu rerum visibilium profecerint, deprehendant. Ita etiam Dorotheus discipuli Dosithei profectibus consulebat. Neque enim semel tunicam, aut habitum ad vltum illi dedit; quem cum ipse, qui mundissimus erat, lauisset, & conuisset, iterum abstulit ad vltum alterius fratris, & pro alio horrido & vltro commutauit: quod sanctus discipulus non solum sapientissimè, sed latissimè tulit. Beatus Pater noster Ignatius spiritum paupertatis in nobis diligentissimè promouit, & nunc vsque sua intercessione conseruat. Licet enim collegijs nostris, quæ velut seminaria sunt domorum professorum, nihil etiam in communi possidentium, bona in communi aliarum multarum religionum more graues ob causas habere permiserit; tamen priuatim ad magnam paupertatem, & vix quibusdam, qui à longè societatem aspiciunt, credibilem nos adigit.

Greg. 4.
mor. c. 55.

Mon. 18.
8.

Aug. lib.
de vera
relig. cap.
47.

Apud nos namque arcam in cella habere, aut cellam clauē obferatam, aut aliud in ea quam lectulum & sellam & mensam, & candelabrum, & paucos libros, quasi crimen est. Hæc autem vilia, & penitus necessaria, iubente praelato, sæpe adolescentiores demutant, vt nulli rei immoderantia affectus adhaereant. Ex vna cella in aliam solum ob hanc causam transeunt: si in illa libri sunt similes suis quibus indigent, vt Aristoteles, & summa Diui Thomæ, & alij huiusmodi, eos ibi relinquunt, & alios alij cellæ deputatos accipiunt, mensam, & sellam, & lectulum ligneum secum non transferunt, & alia similia delerunt, & quæ alibi erant, ad suum vltum accommodant. Et sicut Laban, malo aut auaro animo, mutauit, vt est in libro Genesios, mercedem generi suæ Iacob, decem vicibus ita & praelati nostri, nõ malo sed prudenti consilio, mutant res filiorum suorum vltibus applicatas, multis vicibus, vt eos paupertatis admoneant, & vltu huius sanctæ virtutis exerceant. Quin & ego adolescentulus vidi in Collegio nostro Complutensi, post peractum vnum cursum Theologiæ, manuscripta illius anni à magistris dictata praelati iussu inter condiscipulos commutari, vt etiam in hac re tam propria, vt videtur, nihil proprietatis adhaeresceret. Hæc scribimus, non vt nostra iactemus, in quo certè huicque ad nimicitatem nobis consulto pepercimus, & deinceps etiam paremus, sed vt adolescentibus nostris ad futura tempora paupertatis antecessorum suorum memoriam relinquamus. Ista enim nunc apud nos communia sunt, & nulli (vt credo) Prouincia societatis non peruia: at quis nouit si in futurum successores nostri aliquantulum in studio paupertatis intepescant, & tunc horum forsitan meminisse iuuabit?

In omnibus ita te geras, vt pauperè decet, & paupertatem, quam colis, in vltu rerum exteriorum ostende. Comede, vt pauperes solent, cibos cõmunes & viles, bibe vinum (si propter corporis imbecillitatem sit necessariũ) modicum, & bene lymphatum, & in vltum communitatis totius emptum; in cella, ea solum sine quibus commodè viuere non possis, habeas, vestes detritas, viliores, & commissura notatas, & breues diligas, & tandem omnia tua paupertatem redoleant, & te pauperem patefaciant. Quales vestes religiosi induere debeant, Basilij grauisima hac oratione monstrauit. Cum autem Apostolus dicat: Non alta sapientes, sed humilibus cõsentientes, exquirat se ipsum quisquis vltibus magis alsimilè esse Christiano homini conueniat, is ne, qui habitat in aulis regum, & mollibus vestiuntur, an nuncio, & præconi aduentus Domini, quo in natis mulierum nullus surrexit maior: De Ioanne loquitur, filio Zachariæ, cuius vestimentũ ex feris camelorum erat. Quin & veteres sancti illi viri circuibant in melotis & pellibus captinis. Porro ad quem finem vltus is dirigi debeat, docuit nos Apostolus vnico verbo, cum dixit: Habentes victum integumentaque, his contenti simus: quippe tamquam solo nobis integumento sit opus, neque iam amplius propter varietatem, eamque, quæ ex illa consequitur, exquisitam elegantiam, in damnatum luxuriæ vitium (ne quid dicam grauius) incidamus. Si quidem hæc postea ab inutilibus minimèque necessarijs artibus in hominum vitam sunt importata. Atque etiam perspicuum est, quoniam primus integumentorum vltus fuerit, qui à Domino ipso, eo indigentibus est datus. Fecit enim illis, inquit, Deus tunicas pelliceas: quando quidem ad ea in corpore contigenda, quæ aspectu ipso minùs fuerant honestatis habitura, satis erat, etiam huiusmodi tunicarum

Genes.
31. 41.

Basil. reg.
super d. 11.

2. 11.

tū vsus. Sed quoniam in vestimentis non hoc queritur tantummodo sed illud etiam præterea, vt videlicet per ea frigoris incommoda depellantur, necessarium ad vitæ que rem accommodatus esse vestimentorum vsus debet, vt per ea scilicet, & corporis deformes partes obtendantur, & quæ ob cæli inclementiam afferuntur, incommoda propulsentur. Iam quando in his quoque quædam sunt, quæ ad plures; quædam, quæ ad pauciores vsus aptantur: consentaneum videtur ea à nobis pluri fieri oportere, quæ ad plures possint vsus accommodari, quo videlicet nihil quidquid contra susceptum à nobis summæ in victu paupertatis institutum fiat. Neque alia ad forenses ostentationem, alia ad domesticum vsum parata habeamus, atque ex his ipsi item ad diurnum quædam, quædam ad nocturnum tempus distributa: sed eiusmodi quodam nobis vestimentis cogitandum est genus, quo ad omnia commodè vti possimus: vt videlicet eo amicti, & diurnæ pariter honestati, & nocturnæ etiã necessitati faciamus satis. Ex quo quidem illud continget, & communem omnium nostrum inter nos in vestitu ornatum esse, & veluti insignem quædam ac peculiarem ex ipso amictuetiam homini Christiano impressam notam. Quæ enim ad vnum & eundem finem spectant, illa vt plurimum inter se conueniunt. Hæcenus ille. Qui & statim aliam pauperis & humilis habitus utilitatem detegit, quod ipse nos sanctæ conuersationis commonefacit, & à rebus nostro statu indignis auertit. Aliqui tamen eo suam in vestitu vanitatem tuentur, quia si ex pretiosiori panno fiat, est multo diuturnior, & minus pecuniæ in habitu, causa huius diuturnitatis, infumitur. Nam quo tempore duo habitus ex viliori panno consumuntur, vnus ex pretiosiori seruatur. Sed hi non auertunt, primò pretiosiori panni ad viliozem non esse tantum diuturnitatis excessum. Sed esto quod ita sit, non sunt facienda mala vt veniant bona; nec decet pauperem religiosum, eum auticum splendescere, vel vt pinguislima Ecclesiæ canonicum, vestibus fulgere pretiosis. Familiãque religiosa parum quid in pretio duplicati habitus vult libenter expendere, modò filij sui quod sunt appareant & vestiti more pauperum & humilium incedant.

Vt tandem ipsa verba quæ loqueris, te in spiritu paupertatis protehant, serua quod supra ex Augustino & Benedicto notauimus, vt nihil tuum esse dicas, sed proprij nomen abiiciens, & communem appellationem vsurpans, te nihil habere semper profitearis. Idque non parum virtuti paupertatis prodesse certum est, quando quidem cum vestem non meam, sed nostram dico, aut eam, qua vtor, appello, me non dominij vestis, sed vsuarij agnosco: cognitionem autem hanc iteratam affectus sequitur, & paulatim se nihil habere latatur. De hac autem re pulchre in hunc modum scripsit Hugo Victorinus. Non enim debemus aliquid habere proprium, aut quicquam dicere meum, sed nostrum: vt dicatur, nostra cappa, nostra tunica, nostra domus, & in cæteris similiter. Omnia enim in communi debemus habere: & omnia communi nomine appellare. Sed in hoc pensandum est quanta differentia sit inter carnales fratres, & spirituales. Nam illi quidem, quod commune est eis, diuidunt: isti, quod diuisum erat, in communi ponunt: ibi quisque quod suum est, querit: isti, non quæ sua sunt, querunt, sed quæ Iesu Christi. Plus ergo valet ista propinquitas, quam illa: quia illa deficit, ista crescit: illa habet diuisionem, ista vnitatem: illa transit cum sæculo, ista permanet cum futuro. Ad hoc enim simul modò in ista domo viuimus, vt postmodum in cælesti regno maneamus. Filij Dei sumus (ait A-

A postolus) sed nondum apparuit quid erimus. Scimus autem, quòd cum apparuerit, similis ei erimus quoniam videbimus eum sicuti est. Et Paulus. Non habetis hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. Ergo non debemus habere propria, sed sint nobis omnia communia. Partes sibi faciunt homines in hoc sæculo. Alius argentum, & aurum: alij domos, & familias; alius nomen grande, potentiam, & gloriam: iste hoc, alius aliud, diuersi diuerso modo. Pars verò piorum est ipse Deus. Et nos si volumus habere talem partem, talem hereditatem, vt est Dominus: tales nos oportet exhibere, vt digni simus eum possidere, & possideri ab ipso. Ergo si volumus in hereditatem possidere Deum: nihil debemus habere extra Deum. Nam nimis est auarus, cui non sufficit Deus. Hæc ille.] Si hæc quinque documenta seruaueris, non parum in virtute proficies.

Hæc ad subditos dicta sunt, sed efficacissimum documentum paupertati custodiendæ necessarium ad prælatos religionum spectat. Vt scilicet si volunt in cœnobijs paupertatem vigere, & spiritum eius in vita religiosa seruare, subiectis suis de necessariis cum magna charitate & benignitate prouideant. Ministrent illis omnia, quæ opus habent, à corrigia calcæamenti, usque ad filum subtegminis, & cuncta siue ad victum, siue ad vestitum, siue ad medicamenta, siue ad libros necessaria, vel quæcumque illa sint, præbere non desinant, & à secularibus aliquid petere seuerè prohibeant. Nam si illis necessaria non dentur, necesse erit, vt facultas petendi à secularibus & cognatis, concedatur, ex quo non minima incommoda proueniunt. Occasione enim, ea quæ sibi sunt opus, conquirendi, per domos cognatorum & amicorum discurrunt, & minus seruant secreti, & silentij, ac secessionis à mundo cœluram. Negotijs eorum, à quibus temporalia petunt, implicantur, nec possunt se excusare, ne subsidio consueto priuentur. Sæpe coguntur de castro cogitare, & non tantum ad quæ Domini sunt (quod animabus religiosis Christi sponsis, vt magnum priuilegium concessum est) sed etiam ad ea, quæ sunt mundi, frequenter attendere. Cum necessariis superflua quoque petunt, & ne in posterum illis aliquid desit, multa, quæ pauperes non decent, & in præsentem non sunt necessaria, recondunt. Nec in familia religiosa proportionalis æqualitas seruatur, nec ille plus habet qui plus indiget, sed qui plures cõsanguineos, aut ditiores habet, aut qui distractior est, & plures sibi amicos adsciscit. Firque suo modo, quod ait Paulus: Vnus quidem esurit, alius autem ebrius est.] hoc est, vnus superfluis abundat, alius verò alget, & erubescit, nec habet, vbi caput reclinet. Ingredditurque ad fratres quædam modus seruitutis satis pudendus, vt vnus alteri seruiat, & in ferendis suffragijs, atque in alijs se alteri accommodet; vt quod huic superfluerit, ab ipso recipiat. His malis adeo spiritui paupertatis & reformationi religionis contrariis obistere deberet prouidentia, & zelus prælatorum, vt vitam religiosam illibatam custodirent. Eorumque omnium vnicum remedium est, (quod in nostra minima societate videmus seruari, & in religionibus monachalibus prudentissimè fit) vt vnicuique ad victum, ad vestitum, ad studium, ad iter, & ad reliqua, necessaria ministretur, & occasiones discutendi, & domo egrediendi, & petendi à secularibus, omnibus præcludantur. Sic enim, & ipsi religiosi superflua non habebunt, necessariis rebus in communi omnibus administratis contenti, & cuius temporalium expediti, Deo & sibi vacabunt, & maiori cum libertate ad animarum ministeria procedent, & rectius in vitijs carpendis, &

Heb. 13.
14.1. Corin.
11. 22.Hugo. ad
reg. c. 3.

1. Ioh. an.

sacramentis administrandis, se gerent.

Huic sanctæ Paupertatis prouehendæ remedio quatuor obstat solent. Primum est religiosorum multitudo, ad quorum sustentationem nec consuetæ elemosynæ, nec redditus cœnobij sufficiunt. Huic incommodo nisi est moderi consilium Tridentinum, ita statuens: In prædictis autem monasteriis, & domibus, tam virorum quàm mulierum, bona immobilia possidentibus, is tantum numerus constituitur, ac in posterum conseruetur qui vel ex redditibus propriis monasteriorum, vel ex consuetis elemosynis commodè possit sustentari. Quod decretum si in religionibus seruetur, magis in eis disciplina religiosa vigeret. Perfectio (vt experientia docet) plurimum actus non est, licet omnes ad eam vocentur. Non ergo tam facile essent homines in religionem admitendi, sed cum diligenti examine, & illi qui à Deo, & non à sua leuitate, aut ignorantia, verè vocati viderentur, & spem vitæ spiritualis ac perfectioris præberent. Quod si fieret, forsitan redditus cuiuscumque cœnobij ad suos alendos satis essent.

Secundum obstaculum est, domos ædificandi desiderium, & ampliandi, prælatos necessaria denegant. Sed nemo est qui non videat hunc dolum esse diaboli, enitentis vt minor maioribus præponatur, & leuia incommoda grauissimis malis curètur. Leue enim incommodum est, si domus non sit plenè ædificata, magnum verò malum si paupertas non vigeat, & charitas, ac paterna prouidentia, ædificiorum occasione deficiat. Primo loco fratres sustententur, & secundo domus extruatur. Extruantur autem domus pauperum, non palatia imperatorum. Religiosè enim admodum scripsit Hugo: Ædificia fratrum non superflua sunt, sed humilia, non voluptuosa, sed honesta. Vtilis est lapis in instructura: sed quid prodest in lapide cælatura? Vtile hoc fuit in constructione templi: erat enim forma significationis, & exempli: legatur Genesis in libro: non in pariete. Vestitur Eva in pariete, pauper autem iuxta parietem nudus accubat; Datur Adæ tunica pellicea, fratrum autem multitudo coarctatur hyemali molestia. Hæc ille. Ædificia religiosorum sint fortia, sint capacia, sint officinis necessariis, & cellis instructa, curiositates verò in ædificiis, & superfluos sumptus, non fundatores religionum præceperunt, immo abominati sunt: sed astus diaboli, & vanitas, & sæcularitas importarunt. Dum autem modus in ædificiis tenetur, multis modis spiritus paupertatis seruetur. Quia & pauperes Christi sic non quasi in palatiis regum, sed in domiciliis suo statui accommodatis habitant, & animos pauperibus dignos, scilicet humiles & modestos, seruant, & quæ in curiositate ædificij superfluerent, habitatores sustentant, ne occasionem habeant diuagandi, & mentem curis terrenis occupandi, & superflua sub necessitate prætextu conquirendi.

Tertium obstaculum est nimia cura, quam aliqui prælati collocant in sacris templi valis, & ornamentis, ac aliis paramentis emendis. Non aduertunt isti congruam sustentationem subditorum præceptam esse: hæc autem preciosissima ornamenta, esse sub consilio relicta, nec licere pro operibus supererogationis præcepta relinquere, & ab his, quæ sunt magis necessaria, deuiare. Certè de Deorum templis, ac delubris, Lactantius Firmianus hæc scripsit: Horum pulchritudo ac nitor, præstringit oculos: nec vllam religionem putant vbi cumque illa non fulserint. Itaque sub obtentu Deorum auaritia & cupiditas colitur. Credunt enim deos amare quicquid ipsi concupiscunt.

Concil.
Trid. sess.
25. c. 3.
de regulis

Hugo. lib.
2. de ciuit.
lib.

Lactant.
lib. 2. c. 6.

A quicquid est; propter quod furta & homicidia, & latrocinia quotidie faciunt, propter quod bella peccatorum orbem populos vrbéque subuertunt. Consecrant ergo diis manubias, & rapinas suas, quos certè necesse est imbecillos esse, ac summæ virtutis expertes, si subiecti sunt cupiditatibus. Cur enim cælestes eos putemus si desiderant aliquid è terra? vel beatos, si aliqua re indigent? vel incorruptos, si voluptati habent ea, in quibus appetendis cupiditas hominum non immeritò damnatur? Veniunt igitur ad deos non tam religionis gratia, quæ nulla potest esse in rebus malè partis, & corruptibilibus, quàm vt aurum oculis hauriant: nitorem laugati marmoris, aut eboris aspiciant, vt insignes lapillis & coloribus vestes, vel distincta gemmis fulgètibz pocula in facili contemplatione contractent: & quanto fuerint ornatio-
B ra templa, & pulchriora simulachra, tanto plus maiestatis habere creduntur. A deo religio deorum nihil aliud est, quàm quod cupiditas humana miratur. Sic Lactantius sed, ad quod propositum? Numquid in templis veri & summi Dei ornatum reprehendimus, aut aurum & argentum, & lapides pretiosos damnamus? Absit à nobis tale hereticorum & phanaticorum hominum delirium. Sed vitia hominum minis res considerantium notamus, & ad id quod sine dubio est Deo gratius, impellimus. Fulgeant sacra templa auro & diuitiis. Fulgeant omnino, immo serica, & aurea, & pretiosa mihi nisi in templo non placent, & ea infeliciora existimauit, cum homunculos & mulierculas ornant, & corpora in vermes & fetorem conuertenda, circumdant. At ita fulgeant templa, vt
C pauperes Christi non aigeant, vt serui Dei non esuriant, & sitiant, vt occasione ornatus templi cupiditas hostes cupiditatis non vincat. Quod si tu putas cum iactura iustitiæ & cum damno paupertatis ornamenta templi esse quaerenda, toto caelo erras, & à Domini voluntate, qui in templo colitur, manifestè discedis. Quin & existimo, Deum, qui summè à nobis colendus est, non in omnibus locis eundem ornatum sui cultus causa admissum exigere. Cathedrales Ecclesiæ fulgeant, & splendeat, vt matres aliarum Ecclesiarum in quaque prouincia. In religiosorum Ecclesiæ fulgeant, & splendeat vt filia. Non, in quâ, matres in omnibus æmulentur, nec velint esse ornatu, & diuitiis pares, siquidem totus ordo Ecclesiasticus voluit eas esse impares, & minores. Illæ Episcoporum, & canonicorum ditissimorum sunt; fulgeant vt sponsæ diuitum. Istæ religiosi pauperibus commendatæ sunt, fulgeant vt tabernacula mendicorum. Aut si volunt se in ornatu matricibus Ecclesiæ æquare, quod non prohibeo, si absque importunitate & distractione religiosorum à diuitibus religioni bene affectis pretiosa ad cultum Dei, & non ad alios vsus sponte tribuantur; non tamen hoc cupiditas se colore contegat, & vanitas prælatorum volentium his rebus sui memoriam relinquere, & nomen inter suos obtinere; ac paupertatis iactura se vlamine diuini cultus operiat. Tempa Christi, viua scilicet religiosorum corpora, prius reficiantur, & vestiantur, & postea templa seruiatis modestiæ limitibus exornentur.

E Quartum denique obstaculum est quorundam prælatorum ingenium durum, & inflexibile, qui cum ipsi robusti sint, & in miseria cum in sæculo viderent educari, omnes sua duritie metiuntur, & nesciunt infirmis compati, nec delicatiorum misereri. His nihil aliud dicimus, nisi vt prælatos esse discant, & se patres aliorum esse cognoscant, & diuina iudicia formident, nam solet Deus duris duros prælatos mittere, qui eos tempore senectutis, & necessitatis

immi

Bonus
de fax ali
Se vaph.
c. 4.

im misericorditer tractent, & in suis agritudinibus tribulent. Audiant quid dicat Bonaventura: Bonus autem praelatus agnoscat se fratrum suorum patrem, non Dominum: & exhibet se eis medicum, non tyrannum: nec reputat eos ut iumenta sua, vel seruos emptionis, sed ut filios hereditatis supernae confortes: & facit eis, sicut vellet sibi fieri, si similiter indigeret. Sed fortes, & sani non sentiunt, quod sentit ager, ideo nesciunt ei compati, scient autem postea, cum dolebunt. Sic ille. Et hæc dicta sunt non ut praelatos ad laxitatem incitemus, quam sanè maximo odio prosequimur, sed ut ad misericordiam, & pietatem, & paupertatis amorem moueamus. Quæ sine dubio in religione tunc viget, cum singulis necessaria ministrantur, ex quibus possint ipsi, aliquid sponte detrahere, & gratissimum Deo mortificationis sacrificium offerre.

De Paupertate sectanda.

CAPVT XV.

PAUPE RTAS hæc in superioribus à nobis utcumque depicta, & oculis virorum iustorum propolita, fructus est vnus ex tribus præcipuis, quos pinguis, & frugifer hortus nostri status profert; gemma est vna ex tribus pulchrioribus & pretiosioribus, quibus venerabilis religio mater nostra dilectissimas filias suas iustorum religiosorum animas dicit, & ornat; via est vna ex tribus amenioribus & securioribus, quas animæ ipsæ conficiunt, ut à caducis ad æterna, à visibilibus ad inuisibilia: à terrenis ad cælestia conscendant. Paupertate, à curis & molestiis sæculi liberamur, ut possimus in curâ salutis spiritualis incumbere. Paupertate, aduersus diaboli insidias munimur, & laqueos diuitiarum ac foveâ rerum terrenarum valeamus effugere. Paupertate, superbiam status nostri pestem eludimus, & facile est nobis tamquam accinctis, & expeditis, ad perfectionis fastigium properare. Quid nos diuitibus huius sæculi venerabiles, & demonibus formidabiles facit? Nonne Paupertas? Quid religiosos omnium rerum dominos facit, & ut nihil habentes omnia possideant? Nonne Paupertas? Quid Deû potentissimè & efficacissimè aduocat ut speciali providentia illorum curam habeat, ipsique prouideat? Nonne sponte suscepta & voto firmata paupertas? Hæc nos reficit atque sustentat, & quocumque ingrediamur, non importunis vocibus & superbis, sed Dei instinctibus clamat, ut cultoribus suis necessaria præbeantur. Hæc nos fouet & ornat, ac insignia seruorum Dei, vestimenta scilicet Deo dicata, & fidelibus grata, ministrat. Hæc nobis domos amplas & spaciolas præparat, & vbique terrarum tamquam ciues nobilissimos satis commodo hospicio excipit, & hinc emigrantes sedibus cælestibus infert. Paupertate ditescimus, & quo verius sæculi facultates contemnimus, eo ditiores & abundantiores à secularibus æstimamur. Paupertate protegemur, nemòque est, qui à nobis per iniuriam auferat, quod libenter abieciimus, & ab habitaculis nostris explosimus. Paupertate, more nobilium summo regi Deo magna obsequia præstamus, quia ei non tantum quod possidebamus, sed quidquid mundus habet, offerimus. Sacrificiorum nobilissimum est holocaustum, quo totum animal in diuinum honorem incenditur, & abdicatione omnium rerum quasi totus iustus domino consecratur. Si pro Christo, quia persecutor non instat, minime sanguinem fundit, at

A facultates, quibus sanguis ipse augetur, & quæ non minus quam sanguis solè diligi, in vsum pauperum confert. Pauper liber est, quia diuitiarum compedes, & vincula fregit; tranquillus est, quia solitudinum & perturbationum materiam deposuit; ingenuus & nobilis est, quia se Deo familiaritate, & Christo filio eius ac sanctis omnibus se imitatione coniunxit.

B Ascendamus ergo gradus huius scalæ cælestis, per quam Angeli ad nos iuandos descendunt, & angeli, id est, viri spirituales, atque perfecti in cælum ascendunt. Ne nos perterrefaciât angustia eius, quia licet primo aspectu arcta & angusta videatur, tamen post paululum magnam latitudinè habet, & in spacia amplissima & latissima desinit. Terret nos terrena deserere? Animet nos cælestia conquerere. Retrahit nos nuditatem sentire? impellat diuinam protectionem & amabilissimam patris nostri, qui in cælis est, prouidentiam experiiri. Auocat mundo mori infigit, Deo sine solitudine viuere, & regnum cælestè, quod opum dimissione mercamur, comparare. Qui nondum ausus est sua vota relinquere, & possidèdili libertatem abiecere, audeat, quia illud facinus, aggreditur sanè egregiū, & æterna memoria dignū, ad quod Deum ipsum habet adiutorem. Qui opus hoc fecit, & voto se paupertatis obstrinxit, sciat se verbis oris sui ligatum esse, verba sua impleat, & nihil proprium possidens, & promissis stans, se virum fidelem & strenuum ostendat. Superflua alacriter refectet, quoniam noxios & pestilentes humores agritudinem animæ afferentes excludet. Necessariis immoderatè non hæreat, ne qui cor Deo mundum & intaminatum seruare debet, sordibus illud affectionum terrenarum inficiat. Discat, indigentiam, & penuriam rerum corruptibilem sustinere, ut è thesauro miserationis diuinæ abundantiam supernarum consolationum depromat. Si corpore infirmo, & imbecilli necessaria defuerint, pro certo sciat, diuinam benignitatem non defuturam, quæ rebus communibus pretiosiora suppleat, & sine magnis sumptibus à paupere postulatis, si opus fuerit, sanitatem salutemque restituat. Ac tandem se quantum potuerit terrenis exuat, ut Deus illum tranquillitate vestiat, & sanctitatis muneribus induat. Qui huiusmodi fuerit, non dubitet mercedem paratâ esse operi suo. Nam pro quatuor obolis perituris, non alios similes cum vfura illicitè acceptos, sed thesaurum incòparabilem in cælo percipiet; quo ita auctum ac multiplicatum se sentiet, ut nec stillâ huius thesauri pro toto mûdo perdidisse voluisset. Pro nonnulla indignitate, quæ in oculis insipientium, paupertatem comitatur, iudicialiam potestatem, & sedem cum Christo æterno iudice ad mûdum iudicandum obtinebit. Ibique stulti euidenter aspicient quanta sit dignitas paupertatis, quam Deus facit semen tantæ potestatis, & gloriæ. Tandem ea quæ pro Domini amore deseruit, centuplicata illi restituentur, & nihil inueniet à se relictum, quod non à curis & molestiis liberum, & in immensum multiplicatum repèriat: nam omnia creata illi ad bonum seruiunt, & in illa vita cælesti, quam nulla mors obnubilat, in æternum gaudebit.

E Eia igitur sacri status ac religiosi professor, castissimam paupertatem in spòsam assume, cuius gratia claritatem habebis ad turbas, & inter nobiles, id est, inter spirituales viros, non in infimo loco sedebis. Dilige illâ, quæ multorum ac magnorum bonorum origo est, ex qua incorruptus manens pulcherrimos liberos sanctorum operum procreabis, ex quorum educatione nullam molestiam, sed molestiarum leuamen accipies. Hæc est, ut Nazianzenus ait, virtutum omnium commodatissimum instrumentum, quam

Mat. 18.
8.

Salua-
ntes. l. 2.
depromit.

Luca. 2.
24.

Pfal. 11.
7.

Luca. 1.
13.

Pfal. 105.

Pfal. 108.

Pfal. 10.

14.

cum amplecteris, sine tristitia, aut iniuria illius, cunctas virtutes amplexaris, & fructibus earum imbuetis. Tu ex illis es, quibus sic locutus est Dominus: Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam.] Tibi, inquam hæc dicuntur à Domino, quia Apostolis dicta sunt, quorum tu professionem habes, quorum conuersationem sequeris, quorum vitam imitaris. Illos Christus Saluator omnium tãquam ministros fidelissimos arctissima paupertate constrinxit. Vt enim scitè scripsit Saluanus Massiliensis Episcopus: Laico dixit, si vis vende, quæ possides, ministro autè, nolo possideas. Sed & hoc parum existimauit, vt professionem ei substantiæ amplioris auferret, nisi etiam peram ipsam acturo iter longum Apostolo sustulisset, & vnus eum tunicæ singularitate multasset. Et quid postea? Nec hoc satis est, nudis quoque insuper seruos suos lustrare pedibus orbem terrarum iubet, & calceamenta plantis gelu rigentibus tulit. Quid dici amplius potest? Pedum de Apostoli manu rapuit, & peragrantibus vniversum mundum ministris suis, vsu vnus virgulæ non reliquit.] Eum tu statum habes, quo si ei respondeas, minister Christi Saluatoris, immo & amicus fidelissimus constitueris. Nec aurum possideas, quia Dominus tuus in hac vita positus, illud non possedit, & matri suæ à tribus Magis oblatum statim domo depelli ac pauperibus distribui madauit. Vnde post paucos dies Saluator ipse in templo oblatus est cum sacrificio pauperum, nempe cum pare turrurum, aut duobus pullis columbarum: Ne argentum erutum è visceribus terræ recondas, siquidem aliud tibi datum est sine vlla comparatione pretiosius, nimirum notitia, & gustus eloquiorum Dei, de quibus dictum est: Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum.] Ne pecuniam habeas, nã hæc ad coemendas res necessaria inuenta est, tibi autem omnia necessaria gratis tribuntur, vt curis emendi & vendendi libereris. Ne pera, id est multis sarcinis oneratus incedas, quia in quocumq; loco ad quem ab obedientia destinatus fueris, necessaria comiter ministrata ad vsu inuenies. Ne duabus tunicis, id est, superfluis induaris, quia cum miseria sit rebus indigere terrenis, necessaria & superflua conquirere nihil aliud est, quàm miseriam super miseriam accersere. Ne calceamenta quæras, ea nimirum, quæ pedes affectuum tuorum, quibus nimè ad res terrenas inclinaris, defendas, aut excuses; sed potiùs affectus huiuscemodi spirituali magistro denuda, vt tui languoris videas curationem. Ne demum virgam habeas, quam homo ex arboribus ad seipsum abscindit, id est, ne humanis auxiliis nitaris, nec à fauoribus hominum subsidium speres, sed spem tuam omnem in Deo collocans, de eius largitate & benignitate confide.

Ipsa est pater pauperum, ex cuius penu abundè reficiuntur, idèoque sanctissima Virgo cantauit: Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes,] vt sicut diuites sibimet ipsis praesidentes repellit, ita pauperes in eo tanquam in prouidentissimo patre spem collocantes, foueat, & impleat. Ipse est inspector inopum, nam [oculi eius in pauperem respiciunt.] vt ei benignè prouideat: & [palpebræ eius] quibus interdum, quasi lumina claudit [interrogant si lios hominum.] vt scilicet ad modicum tempus in necessitate relictos, an sciat seruare confidentiam, examinet. Ipse est adiutor, & protector egenorum: cum etiam scriptum legamus: Quia adstitit à dextris pauperis, vt saluam faceret à persecuentibus animam meam.] Et rursus: Tibi derelictus est pauper, orpha-

no tu eris adiutor.] Audit profecto orationes illorum, qui propter illum sunt indigentiam & nuditatem amplexi. Vnde & idem sanctus Propheta canit: Iste pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum, & de omnibus tribulationibus eius saluauit eum.] Ac iterum. Non spreuit, neque desepxit deprecationem pauperis.] Et vt sciamus orationes pauperum exauditas esse, alio loco ait: Pauper, & inops laudabunt nomen tuum.] Laus enim postulantis, beneficium acceptum, & orationis exauditione exponit. Si talem patrem habes, o homo, tuis necessitatibus prouidentem; si talem inspectorem, indigentias tuas ad miserendum & subueniendum inspicietem; si talem protectorem te in tribulatione protegentem ac defendentem, cur in eum, tuum cogitatum non iactas? cur nimè de rebus terrenis sollicitus, cur sollicitudinem immoderatam abiciens, & cor tuum ab amore terrenorum auocans, non in eo tota securitate confidis? Si aliquam inopiam pateris, gaude, quia actionem præcipuam paupertatis exeres: quia occasione aliquid Deo offerendi captas, quia martyrij quoddam genus sustentas. Verè enim martyrij genus est voluntaria paupertas. Quid enim mirabilius, aut quod martyrijum grauius esse potest, quàm inter epulas esurire; inter vestes multas & pretiosas algere; paupertate premi inter diuitias, quas offert mundus, quas ostentat malignus, quas desiderat noster ipse appetitus? An non meritò coronabitur, qui sic certauerit, mundum abiciens promittentem, irridens inimicum tentantem, & quod gloriosius est, de se ipso triumphans, & crucifigens concupiscentiam prauentem?

Nec putes Deum tui obliuisci, nec te ab illo despicere, si post emissum paupertatis votum, statim non tibi prouideat, aut aliquid tibi deesse permittat. Nam dissimulat quidem, vt fidelitatis indicia præbeas, & vt ea, quæ magna sunt, præmia sustententia conquiras. Solenne enim est illi suos ad modicum quasi relinquere, vt pugnent, & vincant, atque triumphent, & de hoste spolia reportent. Consultò autem dixi ab ipso iustos quasi relinqui, quia re vera non deferuntur, cum in oculis illius omnia considerantis decerent, & ab eo, qui videtur absconditus, vires ad pugnandum & vincendum accipiant. De quo sunt apud Minutium Felicè hæc verba consideratione dignissima. Itaque & nobis Deus nec non potest subuenire, nec despicit cum sit & omnium rector, & amator suorum; sed in aduersis vnquemque explorat, ac examinat ingenium singulorum, periculis pensat, vsque ad extremam mortem voluntate hominis sciscitatur, nihil sibi posse perire securus. Itaque vt aurum ignibus, sic nos discriminibus arguimur. Quàm pulchrum spectaculum Deo, cum Christianus cum dolore congredditur, cum aduersum minas & supplicia, & tormenta componitur, cum strepitum mortis, & horrorem catinificis irripens inculcat, cum libertatem suam aduersus reges & principes erigit, soli Deo, cuius est, cedit, cum triumphator, & victor, ipsi, qui aduersum se sententiam dixit, insultat. Vicit enim, qui quod contendit, obtinuit. Quis non miles sub oculis imperatoris audacius periculum prouocet? Nemo enim præmium percipit ante experimentum, & imperator tamen, quod non habet, non dat: non potest propagare vitam, potest honestate militiæ. At enim Dei miles, nec in dolore deseritur, nec morte finitur. Hæc ille.] Non semper eadè hominum examinatio est. Priùs iustos Dominus mortis periculo, quin & ipsa morte, examinabat; nunc quosdam (deficiente tyranno, qui interficiat) perfectionibus & doloribus probat; alios indigentia re-

Pfal. 35. 7.

Pfal. 22. 26.

Pfal. 73. 21.

Minut. in
Orat.



rum temporalium necessarium ininterrogat. Si autem illi videns patientiam tuam, consideras fiduciam tuam, & metiens, ne necessitate opprimaris, vires tuas. Si in necessitate positus sustinueris, si sponsam, nempe paupertatem, quam fuisi amplexus, amaueris, ipse necessaria suppeditabit, aut sine necessitate cum potens sit, sustentabit, & tranquillitatem, beatitudinis portionem, impertiet. Beatus enim appellatus est, [qui post aurum non abiit, nec sperauit in pecunia thesauris,] qui nimirum nec immoderato affectu terrena nomine auri significata sectatur, nec thesaurus, aut rebus huius seculi, sed Deo sibi prouidenti, & sui curam gerenti, subnititur.

Quidnam aues? nonne Christum sequi? Nonne expeditus, & alacer ad perfectionem tuam assequendam, & animas, aut exemplo, aut etiam ministerio saluandas, exiit? Sed Christus Dominus pauperes ad suam sequelam eligit, diuites vero, & rebus terrenis adherentes, dimittit. Quo tempore ipse mortalis inter mortales morabatur, multi erant reges in saeculo, multi principes, multi diuites, quos posset ad se vocare, & ad virtutum obseruationem, & ministeria animarum assumere. At reiectis illis pauperes inuitauit, egenos vocauit, & in suam societatem asciuit. Hi audierunt ab ipso: Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum. Audierunt, & obaudierunt, & quia nullis tenebantur vinculis diuitiarum, pro ministerio sibi commisso vsq; ad sanguinem decertarunt. Quam sit enim, inquit Petrus Chrysologus, virtutibus cognata paupertas, & terrena & caelestis comprobatur disciplina. Athleta ad luctum nudus incedit, configit & cum fluctibus nauta nudus. Miles in acie non nisi expeditus astat, & qui tendit ad ad Philosophiam, totum quod in rebus est, ante contemnit. Est ergo virtutibus cognata paupertas, & si paupertas virtutum parens, & loca sic habetur, sapere conuenit: quare ad virtutis officium pauperes Deus sic elegit. Petrus & Andreas, Iacobus & Ioannes germanitas combinata, imo paupertas geminata in Apostolorum principes eliguntur. Erant censu pauperes, sed innocentia locupletes, arte viles, sed vitae merito pretiosi. Captatores piscium, sed piscatores hominum iam decreti. Hac ille. Videte voca-

A tionem vestram fratres, ait Paulus, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed ignobilis mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea, quae non sunt, ut ea quae sunt destrueret. Equidem puto, quia concupiscis esse ex his electis Dei. Linque ergo sapientiam saeculi, quae solum sapit terrena quaerere, & caelestibus antepone. Desere potentiam mundi, quam opes temporales fulciant, & protegent. Abiice nobilitatem carnis, quae saepe ex diuitiis initium assumpsit. Esto ex pauperibus, quos mundus ignobilis & contemptibiles putat, ut Deus ea, quae sunt in te vilia destruat, & ad perfectionem, & ex illa ad quandam magnam gloriam promoueat. Munus tuum est ascendere in illam caelestem patriam, ad quam clinofus satis & difficilis patet ascensus; abiice onera, ut sublati impedimenti possis ascendere. Egregie naque ait Beatus Isaac Abbas: Et nos quoque ascendimus Hierosolymam. Ideo enim in monasterium descendimus, ut Hierusalem ascendamus. Sic nempe, sicut lites ut in aera se suspendant, profundius omni corpore solo ubi resident, se imprimunt. Hominum quoque, & ferarum eadem est ars naturae, siue natura artis, aut potius ars naturalis, ut in sublime salire cupientes, humilibus terrae, quasi toto corpore insidentes, incuruentur. Arduum est quod ascendere molimur, arduum quod attentamus penetrare: ideo expeditos nos esse conuenit, & subtiles. In altum enim reperere onustum, & per angusta loca, infatum introire difficile.

B Non inflare hominem diuitias, nec onerare curas, nec crapulam granare, diuini est miraculi, non humanae virtutis. Sic ille. Vult itaque Deus, nos via regia ad perfectionem ducere, & ut per semitas patrum nostrorum ad sanctitatem & virtutum culmina properemus. Via autem regia religiosorum monstrata, & semita perfectionis nostrorum patrum pedibus trita, sancta & veneranda paupertas est. Hanc ingrediamur, & nec ad dexteram prosperitatum humanarum, nec ad sinistram pusillanimitatis, & diffidentiae in indigentibus delectamur, ut in illa caelesti Hierosolyma, quam nullus hostis vastare potest, in aeternum triumphemus. Amen.

2. Cor. I.
26.Isaac
hom. 2.

O R A T I O,

AD POSTVLANDAM PAUPERIEM.

LARGISSIME & ditissime deus, qui diuitias & bona temporalia saeculi hominibus concessisti, non solum ut illis ad vitam hanc mortalem tuendam uterentur: Sed multo magis ut ex his bonis propter nomen tuum pauperibus dispensatis, amicos facerent, qui eos in tabernacula aeterna reciperent, & ut omnimoda abiectioe ipsorum, qui ad hoc vocati sunt, tibi soli considerent, & ad perfectionem se disponerent, & tandem ad aeternam patriam euolarent: Da nobis, quae sumus, famulis tuis, a te hac praestantissima vocatione dignatis, paupertatis spiritum, quo omnia terrena affectu & opere deserentes, vocationi tuae non reluctemur, & nudi Iesum Christum filium tuum pro nobis nudum, & in cruce pendentem sequamur. Fac Domine, si nondum hoc iter perfectionis cepimus, ut ad eius exordia capessenda, & ad votum paupertatis emittendum animosiores simus. Si autem iam cepimus, concede, obsecro, ut votum a nobis emissum fideliter impleamus, ut ab usu rerum superflua recedamus, ut necessaria moderatè & sine nimio affectu sumamus, ut indigentiam sanctae paupertatis comitem, siue sani, siue infirmi, gratanter sustinere sciamus, & ut a rebus terrenis, & amore ipsarum quantum haec mortalitas tulerit, elogemur: Esto tu, Domine Deus, thesaurus noster in terra & in caelo: esto centuplum nostrum in hoc saeculo, & in futuro: esto dignitas, & altitudo nostra sublimissima, qua cumulate menti nostra fiat satis, & quidquid extra te est, aut si profit ad ascendendum ad te, pro amore tuo sumat: aut si obstitit, capta vinculis eiusdem amoris irrideat. Amen.

PARS